SYNTAGMATA
LINGVARVM
ORIENTALIVM
QVÆ IN GEORGIÆ REGIONIBVS AVDIVNTVR,

AVTHORE

D. FRANCISCO-MARIA MAGGIO,

CLERICO REGVLARI, PANORMITANO.

SYNTAGMATΩN LINGVARVM ORIENTALIVM

QVÆ IN GEORGIÆ REGIONIBVS AVDIVNTVR

LIBER PRIMVS

Complectens Georgianæ, ſeù Ibericæ vulgaris linguæ

INSTITVTIONES GRAMMATICAS

AVTHORE

D. FRANCISCO-MARIA MAGGIO,

CLERICO REGVLARI, PANORMITANO.



ROMAE,

Ex Typographia Sacræ Congregationis de Propaganda Fide.

M DC LXX.

SVPERIORVM PERMISSV.

SANCTISSIMO AC BEATISSIMO PATRI, ET DOMINO NOSTRO

VRBANO VIII.

PONT. OPT. MAX.

D. FRANCISCI-MARIAE MAGGIO,
Clerici Regularis, Panormitani,

PEDVM OSCVLA, ET VOTA.

ET tandem octo omninò annos vagatus, Romam redeo, BEATISSIME PATER; atque iterùm ad Tuos pedes prouoluor; quum iam in Iberiam, & Colchidem allegatus; ærumnas, & labores plurimos exantlarim, in tam ancipiti itinere; per medias Arabum, Turcarum, & Perſarum Regiones ſuſcepto, ingentibus periculis obnoxio, hoſtium iucurſionibus infeſto, viarum anfractibus aſpero, montibus horrido, fluminibus obruto, niuibus obſito perpetuis, fabuloſis etiam terroribus obſeſſo; ad Phaſidis verrucas, & iuga Caucaſi prætergreſſus. Quò Noſtrates, non auri cupido, quæ priſcis temporibus, è Græciæ litore, deduxit Argiuos: Sed vnus aduocat zelus animarum, deliciarum oblitos, contemptotes periculorum, ſcientiam ſalutis edoctos: vt Tuis nutibus obſequantur.

Enim verò quum nemo, illò terrarum, commigrarit vnquam à nobis, qui Ibericæ linguæ notitiam, vel à limine ſalutaſſet; nemo qui inde, Sanctitati Tuæ, ab eis Gentibus delatas literis lacrymas, & vota poſſet interpretari, tùm Sanctiſſ. Sedis huius oracula, diſſitis adeò Regionibus, ac Nationibus aperire; factum eſt, Sanctiſſ. Pater, vt è Clericorum Regular. Congregatione, beatiſſimis Tuis nutibus obſequentiſſima; me vnum deligeres, eo conſilio, vt illuc contenderem, & linguæ illius ambages, ſyrteſque, primus omnium, aliqua docendi methodo ſuperarem. Quapropter vix vigeſimum ſecundum annum attigeram; quum ad Sacerdotium,

quo

quo nec per ætatem liceret, Tuo iuſſu prouehor; magniſq; auctus gratijs, ampliſſimiſq; Priuilegijs diues, immenſum iter ingredior.

Syriam, Arabiam, Perſidem, atque Armeniam peragraui: eas linguas, latinis auribus prorſùs barbaras, addiſcendi cupidus, etiam tenui; docuitque ea verba conari, haud equidem

Magiſter artis, ingenijque largitor
Venter, negatas artifex ſequi voces:

Sed Tuæ Sanctitatis, & Sanctiſſimæ Sedis huius Imperium, Gentium illarum ſalus; noſtrorum Patrum, qui eò deinceps mitterentur, faciliùs edocendorum ſpes; vt in ſingulis laborarem. Mores etiam, ritus, erroreſque omnium diligentiſſimè diſquiſitos, digeſſi, & litteris conſignaui; vt Topographiæ. & Gentium illarum hiſtorias, à noſtris Authoribus concinnatas, à penè innumeris mendacijs vindicarem.

Demùm vbi in Iberiam penetraui, totam eam Regionem luſtrare conatus ſum; omnemque dedi operam, qua & mihi fandi copiam compararem, & eius Gentis Codices, ac monimenta peruoluerem. Illic verò, Beatiſſime Pater, non ſine ingenti animi gaudio, plures reperi Noſtrates, literarum eruditione, & vitæ probitate clariſſimos; qui eandem Spartam alacrioribus animis agitantes, vt in viam ſalutis, eis Gentibus prælucerent, dies, noctesque, in deſertæ illius vineæ cultura, impigrè laborabant. Nempè Chriſti athletas vidiſſes, generis nobilitate, atque animi indole inclytos, ea rerum incommoda, vitæque diſcrimina, quotidiè in barbara, & infeſta regione, mira æquitate animi perferentes, vt in diem mori citiùs, quàm eos viuere credidiſſes. Dum interea non deſinunt, Regionum illarum incolas, planè rudes; & ſæpè nullius Religionis, ac Fidei, quà verbis, quà eximiæ virtutis exemplis, ad ſtudium Pietatis, & Chriſtianæ veritatis lucem excitare, vel nutantes firmare, vel deuios adducere, vel auerſos conciliare.

Cœterùm D. Antonij Iardinæ, vnius è noſtris, Viri planè admirabilis, ex humanis ſublati, iuſſus ſupplere vices, ad Gurios penetraui: vbi & alios è fratribus vidi, per ſummam pauperiem, rerumque inopiam, Chriſti fidem diſſeminantes: quorum egregios conatus, & præclara facinora, non ſemel Deus prodigijs illuſtrauit. Hìc itaque meo functus munere, baptiſmo luſtratos, inſtruere iam conabar, quum ad Colchidem vocor, vt nonnullos è noſtris, linguas, quas ipſe didiceram, edocerem.

Eò

Eò pergere coactus ſum; nec ſine mœrore animi præclaros ſocios, & longè cariſſimos liqui, cum magno Catholicorum hominum cœtu; quibuſcum miſerandum in modum, ſcrutis amicti, panico, ſoliſque oleribus, vitam ad inſtar pecudum, ceù in montium latebris traducebant.

Pedes, aut equo vectus clitellario, ſolus & ſine comite, tutante Deo, per horridas nemorum ſyluas, vbi paſſim cum ſaxis, niue, glacie, torrentibus erat luctandum; ad Caucaſi inhoſpitalis minas peruenio. Hìc quum à quodam Regulo humaniſſimè exceptus eſſem, vnà in Colchidem venimus, de Sanctitatis Veſtræ Pontificiæ dignitatis Primatu, in itinere diſceptantes. At qui fieret, vt lacrymas cohiberem, quum in ea Regione fratres agnouerim, macie, & ſqualore vultus confectos, cilicina indutos veſte, cum baxeis, aut crepidis, vel etiam nudis pedibus frequenter incedere; paupere amictos centiculo, nuda humo cubare; ſæpe abſtemios ſemel in die cibum capere, à carne, piſce, pane, nec raro de leguminibus abſtinentes!

Hìc dùm indefeſſè omnes in Colchos, quanti quanti ſumus incumbimus, ipſe allegatus ad Archamenſes, longè abij, Beatiſſime Pater: quumque Dei Templum inibi aperuiſſem, vbi de fide orthodoxa erudiendi incolæ exciperentur; lictores quidam, Romanæ Eccleſiæ iniquiſſimi perduelles; acti cupidine vltionis, cateruatim, ad noſtram ædiculam conuolarunt. Non fuit opus perfringere valuas, aut caſam diruere, nos indeque protrahere abditos: læti proceſſimus; clamoreſque inter, qui vndique perſonabant, impauidi animo omnes, ſicarios amplexamur. Machœras quidem illi exeruerant, nos omninò concidere cogitantes: Deum immortalem, vitam quam lubentiſſimè voueramus! at demùm dimittimur, & ablegamur.

Indè ad Ponti regiones deuenimus: pleraſque luſtraui; incolarum ritus agnoui; varios loquendi modos audiui; plures etiam didici, Beatiſſime Pater. Etenim Sebaſtopoli morabamur, quam Caſtoris, & Pollucis aurigis, Poëtæ conſtructam putant: quondam adeò claram, vt in eam referat Plinius, CCC. Nationes deſcendiſſe olim, quæ linguis diſſimilibus vterentur; ac propterea CXXX. Interpretibus, Romanos ibi negotia peregiſſe. Hinc vt Moderatorum iuſſui obtemperarem, apud Tataros domicilium fixi: vbi expiato phano, plures à Chriſtiana fide Apoſtatas offendentes, eorum dicta refellere nitebamur. At demùm ſumma pau-

perie

perie exagitati dum hùc illùc acti, vitam durè equidem trahebamus; Turcæ cuiuſdam beneficio, olim Florentinorum mancipij, Alterius fraude, & ſupplicio liberati, ſedem & locum commutare coacti ſumus.

Nauim conſcendimus, puellis, pueriſque inueſtibus oneratam; quos mercati mangones, cunctos in pellices, & catamitos adſciuerant, impij Mahometis criminibus non parcentes. Quum ergò Pontum, quem vocant vaſtum, & trucem Maro; immenſum, & minacem Ouidius; voracem, & dubium Lucanus; rabidum Silius; vagum, & ventoſum Statius; horrendum, & veſanum Manilius; inſanum, & aſperum Seneca; ac rauciſonum Feſtus, enauigarem; quamuis ingens, validaque eſſet nauis; immenſis tamen fluctibus verberata; laxatis compagibus, fractis inſuper antemnis, & gubernaculis, alijſque armamentis abreptis; in ſummo omnes diſcrimine verſabamur. Interim alterum vidi è regione nauigium, ita labefactari, ac diſſolui; vt nullis neque proræ, neque puppis munimentis tantum impetum ſuſtinentibus, hauſtum gurgitibus interierit.

Ita ad Thraces Byzantium appuli: vbi & Noſtrates inueni; quos illùc, Pater Sanctiſſime, deſtinaueras; vel vt Chriſtianos excolerent; vel lapſos, vt non ſemel contigit, reuocarent.

Audiui hìc D. Petrum Auitabilem miſſionis Præfectum; noſtrum omnium Anteſignanum; ſolertia, dexteritate, morum elegantia ſingularem; etiam Tuo iuſſu cum ſocijs in Indiam perueniſſe: à quibus modò accepimus, plures Baptiſmi lauacro Ethnicos, in intimis Regionibus expiatos. Equidem mirum eſt, Pater Beatiſſime, qua admiratione & lætitia, noſtræ paupertatis inſtitutum, Iberi, Turcæ, & vel ipſi Indi probauerint; indignè ferentes, Sanctæ Sedis huius Apoſtolos, diuitijs inhiare.

Demùm Byzantio, vbi nunc quidam è noſtris qui ſe totum Schiſmaticis erudiendis addixit, Philoſophiam Armenicè interpretatur; nouiſſimus Argonauta, è Colchide, aureo vellere diues, Propontide Ægeoque mari remenſo; in Siciliam vectus, velim nolim, Meſſanam teneo. Scilicet, oſſa mecum aſportaueram, magni illius D. Iacobi Stephanij, quem primum olim ad Iberos legaſti, illius Regionis Apoſtolum, Virum linguarum peritia, virtutum exemplis, virginitate, atque integritate animi præſtantiſſimum; *Deum Terræ*, à rudioribus incolis appellatum. Et hìc quum prorſùs neſcirem, reperi Meſſanenſes, vt ab eomet D.

Iaco-

Iacobo diſcedente olim acceperant, ipſius corpus exanime opperientes. Læti igitur meo aduento pignus excipiunt; cui in noſtris ædibus, ſolenni ritu & funere tumulato SENATVS POPVLVSQVE MAMERTINVS præ animi lætitia geſtientes, honorificentiſſimè parentarunt. Hanc ille Vrbem miro amore proſequebatur; pluresque annos incoluit, MARIÆ Virginis Reſcripti ad eandem, acerrimus propugnator: cuius quidem exemplaria, typis excuſa, deuotionis ergo, vel ad Iberiam deportauit.

Interim ego huc, vndè olim diſceſſeram, Romam repetij; vt Tuos ſanctos pedes deoſcularer; feci quod iuſſiſti, Beatiſſime Pater: Opuſcula quæ optaueras etiam ſcripſi: fortè me imbecillum ingenio, ad hoc opus delegeras, vt Tuo afflatus numine vim exprimerem Pontificiæ dignitatis. Itaque pro Tua ſingulari erga nos humanitate, ac beneuolentia, æqui bonique conſule quod factum eſt; & eodem fauore, quo hactenus, me tutela Tua foue, ac patrocinio, & benedictione proſequere: dùm aſſiduè precari non deſinam, vt fauſtè, & feliciter viuas; gloriæ Dei, gregis Tui incolumitati, ſalutis omnium Gentium, vt facis, ſeruias, ac Tuis apud Deum iam partis promeritis, maximum in dies benemereodo, cumulum adijcias. Vale.

✠✠ D.STE-

D. STEPHANVS MEDICES

Congregationis Clericorum Regularium
Præpoſitus Generalis.

QVum primum & ſecundum hunc Librum complectentem Georgianæ, Turcicæ, atque Arabicæ linguæ Inſtitutiones, aliquot è Noſtris, quibus id commiſſum fuit, recognouerint, ac in lucem edi poſſe probauerint, facultatem concedimus, vt typis mandetur; ſi ita Illuſtriſſimo Domino Viceſgerenti, & Reuerendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatij Apoſtolici videbitur. In quorum fidem, has literas manu noſtra ſubſcriptas, ac ſigillo noſtro munitas dedimus, Romæ.

CVm præſens Opus Grammaticum P. D. Franciſci—Mariæ Maggio Clerici Regularis antequam typis mandaretur, ex Decreto S. Congregationis de Propaganda Fide viſum atque attentè lectum fuiſſet ab A. R. P. Fr. Ambroſio de Angelis Ordinis Eremitarum S. Auguſtini linguarum perito; Idem P. Ambroſius nihil in eo contra Fidem Catholicam, aut bonos mores reperiſſe aſſeruit, quin immò illud probauit, & dignum cenſuit, quòd typis publicaretur.

Ita mihi infraſcripto retulit idem Pater Ambróſius antequam diſcederet pro ſua miſſione, Perſidis, Georgiæ, & Baſſoræ.

Franciſcus Ingolus Sacræ Congregationis de Propaganda Fide Secretarius.

Iterum imprimatur,
Si placet Reuerendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatij Apoſtolici.
J. de Angelis Archiep. Vrb. Viceſgerens.

Iterum imprimatur.
Fr. Hyacinthus Libellus S. P. A. M.

SYN-

SYNTAGMATΩN
LINGVARVM ORIENTALIVM
Quæ in Georgiæ Regionibus audiuntur,
LIBER PRIMVS
Complectens Georgianæ, ſeù Ibericæ vulgaris linguæ
INSTITVTIONES GRAMMATICAS
In Quatuor Partes digeſtas.

PROEMIVM.

FORTE quia mirabitur, curtam amplo titulo, præſens hocce Opus libuerit inſigniri: quod *Syntagmata linguarum Orientalium* nuncupamus; *quæ in pleriſque Georgiæ, ſeù Iberiæ Regionibus audiuntur*. At neque Ibericæ, vel ſolius linguæ Turcicæ rudimenta, à rudi calamo tradita pollic emur. Alij Noſtrates ſunt, qui non modò Hebraicam, & Syriacam linguam, noua methodo, enuclearunt: ſed qui Armenicam, & Colchiacam, vtramque Iberis vernaculam, nec dum in Regulas, atque Annotationes digeſtam, politioribus, ac felicioribus calamis explanabunt. Quæ omnia, primis hiſce Inſtitutionibus, annectentur: vt planè Noſtratibus; qui in Iberiam impoſterum allegantur, congrediendi cum Barbaris, facilior via, abſoluto hoc Opere, muniatur. Tradimus, primo hoc loco, Georgianæ linguæ Grammaticen, in qua vt fatear, plura deſiderantur: at id vnum facilè condonabunt, qui vel linguæ barbariem norunt, vel animo voluent; ad hæc vſque tempora, olim neminem extitiſſe, qui aut de ea verba facere cogitarit; aut tam arduæ prouinciæ, à ſe ſuſceptæ, non ſuccubuerit. Modò gemina illa Iberiæ ſidera excipias: PATREM D. IACOBVM STEPHANIVM: quem iure illius Regionis APOSTOLVM, appellarunt, quampluriun linguarum genere exornatiſſimum; & PATREM D. ANTONIVM IARDINAM, egregium quidem, & ſolertiſſimum Virum, primum, qui irritum fuiſſe Iberorum, & Colchorum Baptiſma compererit; ritèque Gurios aquis luſtralibus expiarit. Qui ambo, alienæ ſalutis ſitientiſſimi, martyrijque flagrantes, quum huc illucque Iberiam peragrarent; feliciſſimè, ſanctiſſimèque, ante è vita migrarunt; quàm peritiſſimi omnium, ſcriptis ſuis, Dialectum Ibericam illuſtrarent. Neque inde aliorum illuſtrium Virorum gloriæ, atque exiſtimationi detrahimus,

himus, quæ plurimùm in excolenda Iberia deſudarunt: quos inter, iure optimo, recenſemus, PATREM D. VINCENTIVM CARAFAM, & PATREM D. IVSTVM PRATVM, quorum ipſe præclara facinora accuratis literis conſignaui: quippe vtrique Turcicus idioma ſat fuit, quò ſtrenuè operam ſuam nauantes, Apoſtolico munere fungerentur. Sed vos alloquor ò Aſiæ lumina Apoſtolici Viri, qui fidei ardore ſuccenſi, Verbi Dei prædicatione, Iberiam, & Colchidam illuſtratis: vobis ſcripſi, quæcunque in his paginis annotaui: vtinam meo hoc qualicunque labore conatus veſtros, veſtram prouinciam iuuem! At optarim certè, ad idem opus, veſtrum omnium ſtudia, hiſce meis Opuſculis, excitari: vt ſolertiores ingenio, & vno omnes propagandæ fidei deſiderio conflagrantes, intima linguarum penetralia reſeretis. Ergo vt operi meo faueatis, mendis parcite, ſi quæ vel mea, vel Typographorum incuria, ſubrepſere: ſin verò hic laude, & lectione veſtra digna reperientur; vt ſuum fontem repetant, vnde fluxerunt, IESV MARIÆ IOANNI, Amori meo, Matri meæ, Tutelari meo, accepta omnia vt referantur.

O R·

ORTHOGRAPHIA

PRIMA PARS GRAMMATICES

Hoc eſt

De recta legendi, ac ſcribendi ratione;

INSTITVTIONES.

CAPVT PRIMVM.

Literarum ſeries, figuræ, nomina, & poteſtates.

Alphabetum Ibericum vulgare literas habet triginta ſeptem, quas oſtendit ſubiecta Tabula.

Literarum

Ordo.	Figura.	Appellatio.		Valor.
1	ა	ან	An	A
2	ბ	ბან	Ban	B
3	გ	გან	Ghan	Gh
4	დ	დონ	Don	D
5	ე	ენ	En	E
6	ვ	ვინ	Vin	V
7	ზ	ზენ	Szen	Sz
8	ჱ	ჱე	He	H
9	თ	თან	Than	Th
10	ი	ინ	In	I
11	კ	კან	Chan	Ch
12	ლ	ლას	Las	L
13	მ	მან	Man	M
14	ნ	ნარ	Nar	N

Ordo.	Figura.	Appellatio.		Valor.
15	ი	ინ	In	I
16	ო	ონ	On	O
17	პ	პარ	Par	P
18	ჟ	ჟან	Sgian	Sg
19	რ	რაე	Rae	R
20	ს	სან	San	S
21	ტ	ტარ	Tar	T
22	უ	უნ	Vn	V
23	ფ	ფარ	Phar	Ph
24	ქ	ქან	Kan	K
25	ღ	ღან	Ghhan	Ghh
26	ყ	ყარ	Cqar	Cq
27	შ	შინ	Scin	Sc
28	ჩ	ჩინ	Cin	C
29	ც	ცან	Zzan	Zz
30	ძ	ძილ	Zil	Z
31	წ	წილ	Tzil	Tz
32	ჭ	ჭარ	Cciar	Cc
33	ხ	ხან	Chhan	Chh
34	ჴ	ჴარ	Hhar	Hh
35	ჯ	ჯან	Gian	G
36	ჰ	ჰაე	Hhae	Hh
37	ჵ	ჵოე	Hhoe	Hh

Quintadecima & figura & poteſtate eſt eadem ac decima litera, niſi alia forma donanda ſit, & harum altera ſit vocalis, altera conſonans; ſed ita pictam in Alphabetis inuenies. Verùm nonnulli eo loco ponunt quintamdecimam alterius Alphabeti, quo nempè Codices, & maximè ſacros exarant, eamque in ſequenti tabula inſpicies; ſed cùm ea litera numquam vtantur, niſi in ſolo ſermone, quem ſacrum vocant, ideò à vulgari Alphabeto plerique autumant remouendam; ea tamen vtuntur pro nota numeri, vt ſuo loco videbis. Maiuſculas deinde literas nullas habet vulgus, niſi quas à ſacris paginis mutuatur, eaſque perinde ac vendicat, oſtendet ſubiuncta ſyllabus.

Maiuſcularum literarum.

Ordo.	Figura.	Appellatio.		Valor.
1	Ⴀ	ႠႬ	ან	ა
2	Ⴁ	ႡႠႬ	ბან	ბ
3	Ⴂ	ႢႠႬ	გან	გ
4	Ⴃ	ႣႭႬ	დონ	დ
5	Ⴄ	ႤႬ	ენ	ე
6	Ⴅ	ႥႨႬ	ვინ	ვ
7	Ⴆ	ႦႤႬ	ზენ	ზ
8	Ⴡ	ჁႤ	ჱე	ჱ
9	Ⴇ	ႧႠႬ	თან	თ
10	Ⴈ	ႨႬ	ინ	ი
11	Ⴉ	ႩႠႬ	კან	კ
12	Ⴊ	ႪႠႱ	ლას	ლ
13	Ⴋ	ႫႠႬ	მან	მ
14	Ⴌ	ႬႠႰ	ნარ	ნ
15	Ⴢ	ႢႤ	Huie	,
16	Ⴍ	ႭႬ	ონ	ო
17	Ⴎ	ႮႠႰ	პარ	პ
18	Ⴏ	ႯႠႬ	ჟან	ჟ
19	Ⴐ	ႰႠႤ	რაე	რ
20	Ⴑ	ႱႠႬ	სან	ს
21	Ⴒ	ႲႠႰ	ტარ	ტ
22	Ⴓ	ႳႬ	უნ	უ
23	Ⴔ	ႴႠႰ	ფარ	ფ
24	Ⴕ	ႵႠႬ	ქან	ქ
25	Ⴖ	ႶႠႬ	ღან	ღ

Ordo.	Figura.	Appellatio.		Valor.
26	Ⴗ	ႷႠႰ	ყარ	ყ
27	Ⴘ	ႸႨႬ	შინ	შ
28	Ⴙ	ႹႨႬ	ჩინ	ჩ
29	Ⴚ	ႺႠႬ	ცან	ც
30	Ⴛ	ႻႨႪ	ძილ	ძ
31	Ⴜ	ႼႨႪ	წილ	წ
32	Ⴝ	ႽႠႰ	ჭარ	ჭ
33	Ⴞ	ႾႠႬ	ხან	ხ
34	Ⴟ	ႿႠႰ	ჴარ	ჴ
35	Ⴠ	ჀႠႬ	ჯან	ჯ
36	Ⴡ	ჁႠႤ	ჰაე	ჰ
37	Ⴥ	ჅႭႤ	ჵოე	ჵ

Alias etiam, ſacri characteris minores literas, pro maiuſculis olim ſibi vulgus aſciuerat; quarum modo vſus inoleuit; eas enim ſoli vetuſti Codices adhibent in hunc modum.

Aliarum maiuſcularum literarum.

Figura.		Poteſtas.	Figura.		Poteſtas.
ⴀ	ა	A	ⴋ	მ	M
ⴁ	ბ	B	ⴌ	ნ	N
ⴂ	გ	Gh	ⴢ	Hhuie	
ⴃ	დ	D	ⴍ	ო	O
ⴄ	ე	E	ⴎ	პ	P
ⴅ	ვ	V	ⴏ	ჟ	Sg
ⴆ	ზ	Sz	ⴐ	რ	R
ⴡ	ჱ	H	ⴑ	ს	S
ⴇ	თ	Th	ⴒ	ტ	T
ⴈ	ი	I	ⴓ	უ	V
ⴉ	კ	Ch	ⴔ	ფ	Ph
ⴊ	ლ	L	ⴕ	ქ	K

Figura.		Poteſtas.	Figura.		Poteſtas.
ⴖ	ღ	Ghh	ⴝ	ჭ	Cc
ⴗ	ყ	Cq	ⴞ	ხ	Chh
ⴘ	შ	Sc	ⴤ	ჴ	Hh
ⴙ	ჩ	C	ⴟ	ჯ	G
ⴚ	ც	Zz	ⴠ	ჰ	Hh
ⴛ	ძ	Z	ⴥ	ჵ	Hh
ⴜ	წ	Tz			

Vulgares igitur illæ priores literæ, cuiuſuis generis calamo depinguntur, ſed ſacras tùm maiores, cùm minores; quas modò in ſuperioribus tabulis exhibuimus, arundineo ſcribunt Iberi; quod in eis formandis plùs inſumatur atramenti,

CAPVT SECVNDVM.

Literarum diuiſiones.

Literas Iberorum, primò partior in vocales, & conſonantes.

Vocales ſunt quinque.

ა An: ე En; ი In: ო On: უ Vn.

ა An, valet A, vt ამპართავანი Amparthauani, *inſlatus, imperioſus*.

ე En, valet E, vt ელვა Elua, *fulgur*.

ი In, valet I, იდაყუი Idacqui, *cubitum*.

ო On, valet O, ore aperto prolata, vt ოფლი Ophli, *ſudor*.

უ Vn, valet V, vt უნაღირი Vnaghirì, *epiphium*.

Conſonantes ſunt trigintaduo.

ბ Ban: გ Ghan: დ Don: ვ Vin: ზ Szen: ჱ He: თ Than: კ Chan: ლ Las: მ Man: ნ Nar: ო On: პ Par: ჟ Sgian: რ Rae: ს San: ტ Tar: ფ Phar: ქ Kan: ღ Ghhan: ყ Cqar: შ Scin: ჩ Cin: ც Zzan: ძ Zil: წ Tzil: ჭ Cciar: ხ Chhan: ჴ Hhar: ჯ Gian: ჰ Hhae: ჵ Hhoe.

Secundò in mutas, & plenas diuido conſonantes.

Plenæ ſunt tres,

რ Rae: ჰ Hae: ჵ Hhoe.

Ple-

Plenas dico, quia nonnunquam, nullius indigent vocalis, vt ſonent;

რ Rae enim valet R & A, vt არა Ara, *minimè*.

ჰ Hhae valet Hh & A, vt ჰე Hhae, *arbor, trabs, aut tignum*.

ჵ Hhoe valet Hh & O, vt ჵიმე Hhoime, *heu*.

Ideoque appellantur hæ literæ Rae, Hhae, Hhoe; non Ras, Hhar, Hhor. Dixi nonnunquam, quia plerumque რ Rae valet R, vt რუ Rù, *aquæductus, aquagium*: ჰ Hhae & ჵ Hhoe valent Hh, vt ჰბო Hhbò, *vitulus*, ჰარმალი: Hharmali, *machæra, gladius, quo Turcæ vtuntur, & Iberes*. &c.

Mutæ literæ, quæ ſcilicet ſublatis vocalibus nullum habent ſonum ſunt vndetriginta.

ბ Ban: გ Ghan: დ Don: ვ Vin: ზ Szen: ჱ He: თ Than: კ Chan: ლ Las: მ Man: ნ Nar: ი In: პ Par: ჟ Sgian: ს San: ტ Tar: ფ Phar: ქ Kan: ღ Ghhan: ყ Cquar: შ Scin: ჩ Cin: ც Zzan: ძ Zil: წ Tzil: ჭ Cciar: ხ Chhan: ჴ Hhar: ჯ Gian.

Tertiò in duplas, & ſimplices diuido mutas.

Simplices, qnarum videlicet quæque, vni tantùm reſpondet literæ Latinorum, ſunt viginti.

ბ Ban: გ Ghan: დ Don: ჱ He: თ Than: კ Chan: ლ Las: მ Man: ნ Nar: ი In: პ Par: ს San: ტ Tar: ფ Phar: ქ Kan: ჩ Cin: ძ Zil: წ Tzil: ჯ Gian.

ბ Ban valet B, vt ბოსი Boſi, *pellex*, ბიჩი Bici, *puer*, ბაკაული Bachauli, *ſatelles*.

გ Ghan valet G: quod enim G Latinorum cum A, O, aut V ſimul ſonat, id ea litera præſtat, etiam ſi vocalibus reliquis antecedat, vt გული Ghuli, *cor*, გმარძუილი Ghmarzuili, *infans*, გოგო Ghogho, *puellula*

დ Don valet D, vt დედა Deda, *mater*, დიდი Didi, *magnus*.

ვ Vin eſt V conſonans, perinde ac β Vita Græcorum, vt ვაშლი Vaſcli, *malum*, ვაჯი Vagi, *iuuenis*.

ჱ He valet H, vt ჱერი Heri, *plebs*; verùm de his, ſint ne literæ, an aſpirationis notæ, dubium controuerſumque eſt; quippe earum poteſtas nulla, niſi quod ſonum augent illius, ſeu vocalis; ſeù conſonantis cui adhærent.

ღ

თ Than valet T, vt თათარი Thathari, *Turca*; Fallitur verò qui arbitratur hoc elementum eſſe idem ac duplex t, Latinorum non enim maiorem vim expoſcit ab ore, ſed ſonitum clariorem; ideò per t, & h, in tabula redditur.

კ Chan, idem ſonat ac C latinum, A, O, aut V vocalibus antecedens, vt კაცი Cazzi, *vir*, კალი Chali, *muliercula*.

ლ Las, valet L, vt ლოყა Locqa, *mentum*, ლურსმანი Lurſmani, *clauus*.

მ Man, valet M, vt მარანი Marani, *cella vinaria*, მარჯვენა *dextera*, მარცხენა *læua*.

ნ Nar, valet N, vt ნაღარა Naghharà, *tympanum*.

ი Altera In, eſt I conſonans, vt იესუ Ieſù, *Jeſus*, *Chriſtus Dominus*.

პ Par, valet P, vt პური Puri, *panis*, პასსი Paſſi, *pretium*.

ს San, valet S, საწერელი Satzereli, *theca calamaria*, სუკანი, *pinguis*.

ტ Tar, valet T, vt ტულაში Tulaſci, *cornix*.

ფ Phar, nön eſt duplex P, ſed P ſimul cum aſpiratione h, quæ vtplurimùm auget ſonum literæ præcedentis, vt in his dictionibus ფური Phuri, *iuuenca*: ფეხი Phechhi, *pes*, & ſimilibus, Quandoque etiam aſpiratio H ſimul cum P conuertitur in F, ſicut à Latinis vſurpatur in dictionibus Græcis, Phanum, Pharetra, Pharmacum, atque ita efferuntur ფრანგი Phranchi, *habitator Europæ*, თიფლის Thiphlis, *Artaxata, vrbs maioris Armeniæ ad Arexem amnem ſita*.

ქ Kan, valet K, vt ქაჩალი Kacialì, *porrigo*.

ჩ Cin, eſt idem cum C quàm I, aut E ſubſequatur, vt ჩექმა Cekma, *ocrea*.

ძ Zil, valet Z, ſuauius elata, vt ძაღლი Zagli, *canis*.

წ Tzil eſt altera Z, licet quia leniorem emittit ſonum, eius poteſtatem expreſſerim etiam per T, quæ Z nonnihil emollit: aſſentior tamen ijs, qui harum literarum ſonos, Italicè reddunt per Z, itaut decimaoctaua ſimplex litera enuncianda ſit non aliter, quàm in his verbis, *zelo*, *Zefiro*, &c. hæc autem decimanona exprimenda, vt in vocibus, *zio*, *Zitella*; & ita efferendæ ſunt წარბი Tzarbi, *cilium*, წვივი Tzuiui, *crus*; წნელი Tznili, *vimen*, წუჯლი Tzugli, *barba*, წილო Tzilo, *auis*, წყალი Tzcqali, *aqua*.

ჯ Gian ſonat G, quæ E, aut I adhæreat, vt ჯელი Geli, *marſupium*, ჯორი Giori, *mulus*.

Duplæ literæ ex mutis, quæ pluribus ſimplicibus reſpondent, ſunt nouem.

ზ Szen: ჟ Sgian: ღ Ghhan: ყ Cquar: შ Scin: ც Zzan: ჭ Cciar: ხ Chhan: ჴ Hhar.

ზ Szen valet ს & დ, vt ზეგე Szeghe, *perendie*.

ჟ Sgian, valet ს & ჯ, vt ჟული Sgiuli, *fides*.

ღ Ghhan, valet გ & ჴ, vt ღჳინო Ghhuino, *merum*.

ყ Cquar, valet კ & ქ, eſtque idem cum ق Arabico, vt ყუარი Cquari, *cognomen*, ყრუ Cqrù, *ſurdus*, ყელი Cqeli, *manus*, ყური Cquri, *auris*.

შ Scin, valet ს & ჰ, vt შავი Sciaui, *niger*, შუბლი Sciubli, *frons*, შვილი Scuili, *filius*.

ც Zzan eſt duplex დ, ſed initio dictionis appoſita, eundem ſonum refert, quem Z apud Italos, in his vocibus, *Zappa*, *Zampa*, & ſimilibus: vt ცოლი Zzoli, *coniux*, ცხჳრი Zzchhuiri, *naſus*; ცუარი *veruex*, ცხენი Zzchheni, *equus*, ცოცხი, *ſcopæ*.

ჭ Cciar eſt duplex ჰ, vt ჭარხან Cciarcian, *annus iam elapſus*.

ხ Chhan, valet კ & ჴ, vt ხელი Chheli, *etiam manus*, & ხელპეხი Chhelpechhi, *opificium*.

ჴ Hhar eſt veluti duplex ჱ idem cum ح Arabico; vt ჴარი Hhari, *vitulus*, ჴმელი Hhameli, *exiccatus*, *aridus*, *inſolatus*, ჴორცი Hhorzzi, *caro*.

Quartò iuxta Arabicarum ſectiones, diuidimus conſonantes in gutturales, vuales, palatinas, ſibilantes, balbutientes, flexas, labiales, & molles.

PRIMO Gutturales, ita dictæ, quòd in eis formandis, plùs cœteris inſtrumentis, guttur laboret, ſunt ſex.

ჱ He: ღ Ghhan: ხ Chhan: ჴ Hhar: ჱ Hhae: ჵ Hhoe.

SECVNDO Vuales, quæ ſcilicet formantur in vua, ideſt ea pellicula, quæ cùm in fine palati dependeat circa fauces, in hiante homine conſpicitur, ſunt tres.

კ Chan: ქ Kin: ყ Cqar.

TER-

TERTIO Palatinæ ſunt ſeptem.

ღ Ghan: შ Scin: ჩ Cin: ძ Zzan: ჟ Sgian: ჭ Cciar: ჯ Gian.

QVARTO Sibilantes, quæ dum pronuntiantur, audiuntur quodammodo ſibilare, ſunt quatuor.

ზ Szen: ს San: ც Zil: წ Tzil.

QVINTO Balbutientes, quæ ſic appellantur, cùm qui balbutiunt, in harum literarum ſono, verba confundunt, ſunt tres.

დ Don: თ Than: ტ Tar.

SEXTO Flexæ, in quibus exprimendis lingua tangens truncos dentium flectitur, ſunt tres.

ლ Las: ნ Nar: რ Rae.

SEPTIMO Labiales ſunt quatuor.

ბ Ban: მ Man: პ Par: ფ Phar.

OCTAVO Molles ſunt duæ.

ვ Vin: ი In.

Deinde diphtongus, quæ eſt conglutinatio duarum vocalium, in eadem ſyllaba vim ſuam retinentium, ferè apud Iberos eſt quintuplex.

აჳ Au: ო-ე Oe: ჳა Va: ჳე Ve: ჳი Vi.

აჳ Au, vt ბო-ჴაჳლი Bochauli, *ſatelles*.
ო-ე Oe, vt ყო-ელა Choela, *omnes*.
ჳა Va, vt მესჳანი Meſuani, *ignifer, vel qui ſubijcit prunas, aut carbones incendit*.
ჳე Ve, vt ქართჳელი Charthueli, *Iberus*.
ჳი Vi, vt ძჳირო-ბა Zuiroba, *caritas, penuria*.

Sed hæ literarum partitiones, commodiùs in hac tabula inſpicientur.

Ex literis communioribus Iberorum ſunt

VOCALES.

ა. ე. ი. ო. უ.

CONSONANTES.

ბ. გ. დ. ვ. ზ. ჱ. თ. კ. ლ. მ. ნ. ჲ. პ. ჟ. რ.
ს. ტ. ფ. ქ. ღ. ყ. შ. ჩ. ც. ძ. წ.
ჭ. ხ. ჴ. ჯ. ჰ. ჵ.

PLENÆ.

რ. ჰ. ჵ.

MVTÆ.

ბ. გ. დ. ვ. ზ. ჱ. თ. კ. ლ. მ. ნ. ჲ. პ. ჟ. ს. ტ.
ფ. ქ. ღ. ყ. შ. ჩ. ც. ძ. წ. ჭ. ხ. ჴ. ჯ.

SIMPLICES.

ბ. გ. დ. ვ. ჱ. თ. კ. ლ. მ. ნ. ჲ. პ. ს.
ტ. ფ. ქ. ჩ. ძ. წ. ჯ.

DVPLÆ.

ზ. ფ. ღ. ყ. შ. ც. ჭ. ხ. ჴ.

GVTTVRALES.

ჱ. ღ. ხ. ჴ. ჰ. ჵ.

VVALES.

ვ. ქ. ყ.

PALATINÆ.

გ. შ. ჩ. ც. ფ. ჭ. ჯ.

SIBILANTES.

ზ. ს. ძ. წ.

BALBVTIENTES.

დ. თ. ტ.

FLEXÆ.

ლ. ნ. რ.

LABIALES.

ბ. მ. პ. ფ.

MOLLES.

ვ. ი.

& ex vocalibus fiunt diphtongi.

აუ. ოვ. უა. უე. უი.

HOc itaque totum fuit, quod opera noſtra Lectori præſtare potuit, vt tyrunculus, atque Ibericæ linguæ rudis, iam inde à principio optimæ pronuntiationi aſſueſceret; quod vt faciliùs aſſequatur, ad rem ſatis conferre mihi videtur, vt nomina quædam Iberica, verſuſque affectatæ difficultatis, ex pluribus aſperrimè coëuntibus, inter ſe ſyllabis catenatos; & velut confragoſos, quam citiſſimè voluat: quibuſcum tamdiù, ait Fabius, nouus paleſtrita luctabitur, donec deuicta, & proſtrata fœdiſſima barbaries, ab ore extrudatur, ac relegetur. Idcircò quaſdam ego dictiones è Codicibus Iberorum excerpſi; in quibus literarum omnium, & elementa ędiſcet, & ſeriem, qua vel iacent in tabula; atqui vt minùs laborioſè memoriæ mandentur, eas in metra redegi, & hæc pluries deſcribere, ac memoriter pronuntiare non erubeſcat.

Diſtichon ad literas ediſcendas.

აბაგა · დევეზეჱ · თიკლიმ · ნიოპ · ჟოროსო · ტუფუ ·
ქუღუყ · შოჩიცო · ძეწი · ჭახ · ჴაჯაჰა · ჵე ·

Abagha, Deueſzeh, Thichlim, Niop, Sgioroſo, Tuphu:
Kughhucq, Sciocizzo, Zetzi, Cciachh, Hhagiahha, Hhoe.

Sacris verò minuſculis literis ita verſus compones.

ⴀⴁⴀⴂⴀ · ⴃⴄⴅⴄⴆⴄⴡ · ⴇⴈⴉⴊⴈⴋ · ⴌⴈⴍⴎ · ⴏⴍⴐⴍⴑⴍ · ⴒⴓⴔⴓ ·
ⴕⴓⴖⴓⴗ · ⴘⴍⴙⴈⴚⴍ · ⴛⴄⴜⴈ · ⴝⴀⴞ · ⴤⴀⴟⴀⴠⴀ · ⴥⴄ ·

Maiuſculis autem ſic:

ႠႡႠႢႠ · ႣႤႥႤႦႤჁ · ႧႨႩႪႨႫ · ႬႨႭႮ ·
ႯႭႰႭႱႭ · ႲႳႴႳ ·
ႵႳႶႳႷ · ႸႭႹႨႺႭ · ႻႤႼႨ · ႽႠႾ ·
ჄႠႿႠჀႠ · ჅႤ ·

Sed hactenus tradita, ſint ſatis ad rationem legendi, & pronuntiandi vulgares literas, mox earum formas, huc ad examina reuocemus.

CAPVT TERTIVM.

Figurarum ſtructura, poſitus, & diſcrimen.

MItto Chan, Man, Nar, San, Kan, Ghhan, Zzan, Zil, Tzil, Chhan, Hhar, Hhoe, quippe quæ, etſi nouas induant formas, facilè internoſcuntur.

ა An, in ſolutis ſyllabis non rarò inuertitur ſic

ბ Ban, quæ quandoque non rotundo, ſed recto, aut pauxillum inflexo gaudet capite, ſic , perperam à nonnullis pingitur in hunc modum ; ita enim nequit cum ſubſequentibus necti, vt ſuo loco dicemus.

გ Ghan, formas has non rarò nanciſcitur , quas nempè non improbamus, modò à ბ Ban, & მ Man, ſuo pacto diſcriminentur; cauendum etiam ne in alteram partem inflectatur, ſic , vt de ſuperiori monuimus.

დ Don, ſic vt plurimum exaratur

ე En, ſibi etiam has figuras aſciſcit

A ვ Vin ſæpè hunc orbiculum amputamus, & parum limo capite ſcribimus ვ; proin ne in ვ Chan tranſeat, à quibuſdam rectiùs hac forma donatur.

ზ Szen cùm ſit variformis, monendi ſunt tyrones, quòd vt diſcrepet à ჩ Chhan, cui eſt affinis, ſuperior lineæ extremitas ita ducenda eſt, vt vel orbem efficiat, vel aliter ipſius literæ tergo adhæreat, ſicut in ſubiectis figuris oſtenditur

ჱ He de Alphabeto tollere auſi ſunt quidam Iberorum: oppoſitum tamen ego didici à Codicibus & pleriſque, quos de hac re perſæpè conſului; licet enim ipſius munus à ჰ Hhae non rarò præſtetur, nihilominùs quoad numeri poteſtatem plurimùm intereſt inter vtramque.

თ Than hoc pacto ſæpiùs vſurpatur

Vtraque ი In, vocalis & conſonans ad inſtar n Latinorum effingitur.

ლ Las explicat dentes ſuos

ო On has quoque figuras excipit

პ Par & ჰ Hhae ita explicatis dentibus aliquando longiſcunt ; ჱ He verò cùm ſit media inter vtramque, niſi denticulata pingatur, non ſecernetur ab illis, in quibus hæc item

ratio

ratio habenda eſt, vt priore poſterior altiuſculè producatur ſic

Sgian plures exceptat figurationum varietates, per hanc verò notam dignoſcitur

Rae & Scin ſimiliter ac Las, dentes ſiue pedes expandunt


Tar ſcribitur in hunc modum

Vn explicat caput ſuum

Phar flexuram dorſi æquari aſſolet

Cciar, adeò pluriformis excipitur, vt etiam biceps, ac bicorporis vſurpetur; & has ego diſcrepantias figurarum, cogitatè reticeo, ne mendis aliorum videar ſuffragari, illis tamen hoc ſtigma frequenter affigitur.

Gian capite teſſeram plerumque ſimilat, ſed has tantùm formas ritè nanciſcitur ; his verò aliiſque figuris literarum ſuperiora carmina modulabor.



QVia tamen ad rectam rationem ſcribendi, valdè intereſt, vt methodum etiam tradamus, non vtcumque exarandi literas, ſed figurarum lineas ducendi, iuxta leges, ac monitus Iberorum, quò literæ inter ſe faciliùs annectantur, non incaſſum elaboraſſe arbitramur, ſi eam quoque in tabula præſtiterimus; vbi priores de initijs, ac poſtremi numeri de figuræ terminis admonent. Modum verò nauiter, atque accuratè, in ſcribendo quaſcumque locandi literas, magnifaciunt Iberiæ præceptores, inſcitiæ criminantes eos, qui ita exarant verſiculos vt in his literæ poſitus, ſituſque nouos adipiſcantur: proin vt ab hoc errato tyrunculi ſibi caueant, tabellam ſubijcimus, ex qua vtrumque clariùs eluceſcet.

MO-



ET hìc habes, Lector, germanas literarum figuras; quas ideò excudendas curauimus, cùm non benè ad inſtar autographi, typos cælarint. Monendus hìc mihi eras, vt Typographo parceres, qui cùm varias literarum imagines in promptu exculptas non reperiſſet, breuitatis cauſa, me inconſulto, viſus eſt ſibi omnia punctis exſoluere. Sæpè etiam cum Sgian ſacro, vulgarem hanc literulam ᵹ commutauit: nec raró Hhae vſus eſt, pro litera He, quæ etiam ritè depingitur in hunc modum ; ſed vt ad rem redeamus: omnes hæ literarum figuræ, præ-

prӕter კ Kan & ჭ Cciar, quarum illa circiter medium inciden-da eſt, altera ſuccingenda, vnico linearum ductu perficiuntur, at poſtremò reliquum eſt, vt earum diſſimilitudines indicemus; & hoc promimus in hac tabula.

Ex literis communioribus Iberorum quӕ capite diſcrepant.

Primò ბ Ban, & გ Ghan. Secundò ფ Phar, ვ Vin, & ჩ Chan. Tertiò შ Scin, მ Man, & ზ Zil. Quartò ე En, ჟ Sgian, ყ Cqar, & უ Vn.

Quӕ facie differunt.

თ Tar, & ძ Zzan.

Quӕ dente diſpares.

Primò ლ Las, & ღ Ghhan. Secundò პ Par, ჱ He, & ჰ Hhae.

Quӕ ventre diſſimiles.

ს San, & ხ Chhan.

Quӕ per caudas diſcriminantur.

Primò ლ Las, რ Rae, & ო On. Secundò დ Don, & ტ Than. Tertiò ნ Nar, ჳ Szen, & ხ Chhan.

Quӕ ex ſitu diſpicies.

Primò ა An, & ი In. Secundò ც Cin, & ყ Cqar.

Quӕ prorſus diſſident.

წ Tzil, ჴ Hhar, ჯ Gian, ჵ Hhoe.

Et hic parce etiam Lector, ſi ſimilari non vides nonnullas, quas inter ſe literas comparauimus, deſunt nobis plerӕque formӕ literarum, vt paulò ante monuimus.

CAPVT QVARTVM.

Literarum Arithmetica poteſtas, & appellatio.

OMnes ferè Nationes, vt apud Authores inuenio, literas olim ad numeros exprimendos adhibuere: non tantùm Græci, & Hebræi, de quibus vide Gyraldum Dialog. 1. Poët. Petrum Gregorium lib. XV. Artis mirab. cap. 1. & Matth. Hoſtium de numeris; ſed reliquæ omnes, atque etiam Latini, vt Hermannus Hugo declarat lib. De prima ſcribendi orig. cap. XXVIII. barbaricæ enim Arithmeticorum notæ, quibus hodie vtimur, ante trecentos annos tantùm, ad nos venere ab Arabibus, inquit Scaliger in explicat. Numi Conſtantini. Ita etiam apud Iberos, literæ pro numeris adhibentur, nomine, & poteſtate qua donantur in tabula.

Numerorum

Figura.		Appellatio.	Valor.
ა	ერთი	Erthi	I
ბ	ორი	Ori	II
გ	სამი	Sami	III
დ	ოთხი	Othchhi	IV
ე	ხუთი	Chhuthi	V
ვ	ექუსი	Ekuſi	VI
ზ	შვიდი	Scuidi	VII
ჱ	რვა	Ruà	VIII
თ	ცხრა	Zzchhrà	IX
ი	ათი	Athi	X
კ	ოცი	Ozzi	XX
ლ	ოცდაათი	Ozzdaathi	XXX

ideſt, viginti & decem.

მ	ორმოცი	Ormozzi	XL

ſonat: duo viginti, ideſt, bis viginti, nempè quadraginta.

ნ	ორმოცდაათი	Ormozzdaathi	L

duo viginti & decem.

Fi-

Figura. Appellatio. Valor.

ჲ სამოცი Samozzi LX

tres vel ter viginti.

ო სამოცდაათი Samozzdaathi LXX

ter viginti & decem.

პ ოთხმოცი Othchhmozzi LXXX

quater viginti.

ჟ ოთხმოცდაათი Othchhmozzdaathi XC

quater viginti & decem.

რ ასი Aſi C

Centum.

ს ორასი Oraſi CC

ſonat: duo ſeù bis centum.

ტ სამასი Samasì CCC

ter centum. & ſic cœteri ſe habent.

უ ოთხასი Othchhasì CCCC
ფ ხუთასი Chhuthasì D
ქ ექუასი Ekuasì DC
ღ შვიდასი Scuidasì DCC
ყ რვაასი Rua asì DCCC
შ ცხრაასი Zchhra asì DCCCC
ჩ ათიასი Athi asì M

ſonat: decem (hoc eſt, decies) centum, ideſt, mille.

ც ორიათასი Ori athiasì MM

quaſi dicerent: duo decem centum, hoc eſt: duo millia.

ძ სამიათასი Sami athasì MMM

ter decies centum: nempè tria millia.

წ ოთხიათასი Othchhi athasì MMMM

Figura.	Appellatio.		Valor.
	quater decies centum, ideſt, quatuor millia.		
ჭ	ხუთიათიასი	Chhuthi athiasi	$\overline{V}$
	quinquies decies centum, ideſt, quinque millia.		
ხ	ექუსიათიასი	Ekuſi athiasì	$\overline{VI}$
	ſexies dena centena, ideſt, ſex millia.		
ჴ	შვიდიათიასი	Scuidi athiasì	$\overline{VII}$
	ſepties dena centena, ideſt, ſeptem millia.		
ჯ	რვაათასი	Rua athasi	$\overline{VIII}$
	octies dena centena, ideſt, octo millia.		
ჰ	ცხრაათასი	Zcchhra athasì	$\overline{IX}$
	nouies dena centena, ideſt, nouem millia.		
ჵ	ათიათასი	Athi athasì	$\overline{X}$
	decies dena centena, hoc eſt, decem millia.		

Ita igitur literæ, pro numeris adhibentur; tamen, vt verum fatear, non ſemel Arabum notas animaduerti, vel exſculptas lapidibus, vel parietibus pictas, vt credibile eſt, à Turcis, aut Perſis, qui frequenter eas Regiones depopulantur. Et has Tyrones docendi cauſa, hic ſubijcere non grauabor.

Notæ Arabicæ numerorum, quibus pluries vſi ſunt in Iberia.

Figura.		Valor.	Figura.		Valor.
١	ა	1	٦	ვ	6
٢	ბ	2	٧	ზ	7
٣	გ	3	٨	ჱ	8
۴	დ	4	٩	თ	9
٥	ე	5	١٠	ი	10

Has deinde more noſtro componunt ad varias numerorum compoſitorum ſpecies exprimendas; e. g.

Fi-

Figura.		Valor.	Figura.		Valor.
٢.	კ	20	٧..	ღ	700
٣.	ლ	30	٨..	ყ	800
٤.	მ	40	٩..	შ	900
٥.	ნ	50	١...	ჩ	1000
٦.	ჲ	60	٢...	ც	2000
٧.	ო	70	٣...	ძ	3000
٨.	პ	80	٤...	წ	4000
٩.	ჟ	90	٥...	ჭ	5000
١..	რ	100	٦...	ხ	6000
٢..	ს	200	٧...	ჴ	7000
٣..	ტ	300	٨...	ჯ	8000
٤..	ჳ	400	٩...	ჰ	9000
٥..	ფ	500	١....	ჵ	10000
٦..	ქ	600			

HÆc Arabum ſigna retulimus, vt cùm apud Iberos inueneris excuſa, vel depicta percipias. Hi enim, vt dixi, ſolis literis vtuntur, præter quas nullas habent notas; nam etiam carent accentu, ſpiritu, apoſtropho, parentheſi, interrogationis, mœroris & admirationis ſigno, auerſo ſemicirculo, ſeù comma, quæ incidant cola, & periodos; punctiſq; gaudent dumtaxat, quibus adeò ſententias interpungunt, vt vel binas dictiones neque audeant ſcribere, quin conduplicatis his, aut tergeminis, alteram ab altera dirimant. e. g.

ანბანდ. ღევვზეჱ. თიკლიმ. ნიო-ჟ. ღო-რო-სო-. ტუტღუ.
ქუღღუუ. შო-ჩიცო-. მეწი. ჭახ. კაჯანა. ჵე.

Cuius rei rationem non in Codicibus tantùm, ſed in Codicillis, & quorumlibet chirographis ſæpè habitam vidimus. Cùm verò ſcriptionem adoriuntur, priuſquam exarent verſiculos, ქ Kan quandam effingunt, reliquis literis grandiorem; & de ea lege neque eximunt Alphabetum, in quo primas, nota illa occupat, in hunc modum.

ქ. ა. ბ. გ. დ. ე. ვ. ზ. ჱ. თ. ი. კ. ლ. მ. ნ. ჲ. ო. პ. ჟ. რ. ს. ტ.
ჳ. უ. ფ. ქ. ღ. ყ. შ. ჩ. ც. ძ. წ. ჭ. ხ. ჴ. ჯ. ჰ. ჵ.

Et hæc ſatis de ſolutis literis: mox ad nexus & ſyllabas tranſeamus.

CAPVT QVINTVM.

Nexus ſyllabarum, & exercitatio lectionis Ibericæ.

Literæ Iberorum, non ſecùs ac Arabum, inter ſe inuicem annectuntur; adeò vt à Tyronibus, ægrè quidem diſpiciantur; quod tamen neque captu difficile eſt; optimè enim perceptis præcedentibus formis, quibus ſolæ pinguntur literæ, nexæ etiam facillimè diſcernuntur. Sciendum tamen, ex his, necti alias vtrinque, hoc eſt, cum præcedentibus, ac ſubſequentibus literis; vt

ა. ბ. გ. დ. ე. ვ. ზ. თ. ი. კ. ლ. მ. ნ. ო. რ. ს. ტ. უ.
ფ. ქ. ღ. ყ. შ. ჩ. ც. ძ. ჭ. ჯ.

ſubſequentibus tantùm adiungi alias, vt

მ. მ.

alias ſolis præcedentibus copulari, vt

ჰ. ჰ. ჰ. ო. ჳ.

Præterea ℈ Hhoe, quia cum nullis illaqueatur, ab his claſſibus excludenda, ni eius radium inferiorem, cenſeamus eſſe — On; cuius formam, & poteſtatem, plena ea litera vendicat.

Deinde animaduertendum, plures in nexu literas conuenire: hæ enim pari ratione, ſequentibus obnectuntur.

Primò ბ. გ. მ. მ. მ.

Secundò ე. ვ. კ. უ. უ. ფ. ყ. ქ.

Tertiò ხ. ზ.

Quartò თ. ი. ლ. რ. ლ.

Sequentes præcedentibus.

Primò ს. ს. Secundò ქ. ქ. Tertiò ჰ. ჰ. ჰ. Quartò ლ. ლ.

Sed in quo conuenientia perpendenda ſit; quoſue nexus ſingulæ patiantur, quia breuitati ſtudemus, hæc tabula patefaciet.

ად	ად	ad	ვლო	ვლო	vlo
ალ	ალ	al	ვნა	ვნა	vna
ამ	ამ	am	ვსა	ვსა	vſa
არ	არ	ar	ვუ	ვუ	vu
აქ	აქ	ak	ვხო	ვხო	vchho
ას	ას	as	ვენ	ვენ	ven
აღ	აღ	aghh	ვღა	ვღა	vghha
ახ	ახ	achh	ვას	ვას	vas
და	და	da	ვებ	ვებ	veb
ეა	ეა	ea	თა	თა	tha
ებ	ებ	eb	თლო	თლო	thlo
ედ	ედ	ed	თო	თო	tho
ევ	ევ	eu	თსა	თსა	thſa
ეძ	ეძ	eſz	თხო	თხო	thchho
ეკ	ეკ	ech	ია	ია	ia
ელ	ელ	el	ინ	ინ	in
ელ	ელ	el	ის	ის	is
ემ	ემ	em	იხ	იხ	ichh
ენ	ენ	en	კა	კა	cha
ეპ	ეპ	ep	კბო	კბო	chbo
ერ	ერ	er	კე	კე	che
ეს	ეს	es	კე	კე	che
ეუ	ეუ	eu	კლო	კლო	chlo
ეფ	ეფ	eph	კლო	კლო	chlo
ეღ	ეღ	eghh	კნა	კნა	chna
ეხ	ეხ	echh	კსო	კსო	chſo
ეე	ეე	ee	კუ	კუ	chu
ეას	ეას	eas	კფუ	კფუ	chphu
ელს	ელს	els	კუა	კუა	chua
ეუა	ეუა	eua	კუალ	კუალ	chual
ეულ	ეულ	eul	კებ	კებ	cheb
ეუნ	ეუნ	eun	კუნ	კუნ	chun
ეფკ	ეფკ	ephch	ლა	ლა	la
ვა	ვა	va	ლო	ლო	lo
ვბი	ვბი	vbi	ლი	ლი	li
ვე	ვე	ve	ლსო	ლსო	lſo
ვე	ვე	ve	მა	მა	ma
ვლა	ვლა	vla	ნი	ნი	ni

რა	რა	ra	ფსა	ფსა	phſa
რე	რე	re	ფხო	ფხო	phchho
რი	რი	ri	ფუ	ფუ	phu
რო	რო	ro	ფუა	ფუა	phua
რის	რის	ris	ფუნ	ფუნ	phun
რსა	რსა	rſa	ფღო	ფღო	phghho
რხა	რხა	rchha	ქა	ქა	ka
ჟა	ჟა	ſgia	ქუე	ქუე	kue
ჟე	ჟე	ſgie	ქულ	ქულ	kul
ჟე	ჟე	ſgie	ყა	ყა	cqa
ჟუ	ჟუ	ſgiu	ყე	ყე	cqe
ჟუა	ჟუა	ſgiua	ყე	ყე	cqe
სა	სა	ſa	ყდო	ყდო	cqdo
სსო	სსო	ſſo	ყუ	ყუ	cqu
სხო	სხო	ſchho	ყუა	ყუა	cqúâ
ტო	ტო	to	ყუნ	ყუნ	cqun
უა	უა	ūà	შა	შა	ſcia
უე	უე	ùē	ში	ში	ſci
უე	უე	ûē	შო	შო	ſcio
უვ	უვ	uv	ჩუენ	ჩუენ	ciûên
ულ	ულ	ul	ჩუეა	ჩუეა	ciueâ
ულ	ულ	ul	ღა	ღა	ghha
უთ	უთ	uth	ღი	ღი	ghhi
უნ	უნ	un	ღო	ღო	ghho
უს	უს	us	ცა	ცა	zza
უფ	უფ	uph	ცნა	ცნა	zzna
უღ	უღ	ughh	ჯა	ჯა	hha
უხ	უხ	uchh	ჯბო	ჯბო	hhbo
ფა	ფა	pha	ჯე	ჯე	hhe
ფე	ფე	phe	ჯე	ჯე	hhe
ფლო	ფლო	phlo	ჯელ	ჯელ	hhel
ფლო	ფლო	phlo	ჯსი	ჯსი	hhſi
ფვა	ფვა	phcha	ჯუ	ჯუ	hhu
ფნა	ფნა	phna	ჯუა	ჯუა	hhua
ფრა	ფრა	phra	ჯუნ	ჯუნ	hhun

HIc Typographus ob typorum penuriam, pleroſque nexus præterijt. Scias Lector, vni literæ, non binas modò, ſed ternas etiam, & quaternas ſuperilligatas imponi; quarum imagines ob oculos ponere non valemus; eas te Iberici ijque vetuſti Codices edocebunt. At deinceps, vt Typographi laboribus conſulamus, ſolutis literis contenti, plerumque à nexu cauebimus: quod adhuc tua, parui intereſt Lector.

Cùm verò hîc de ſyllabis ſermonem inſtituerimus; paucis locus iſte poſtulat, vt exponamus, quo ritu ſyllabas componere, ac pronuntiare, Iberi pueros doceant. Et quidem irrident morem Latinorum, literam literæ copulandi ſubmiſſa voce, ac deinde elata formandi ſyllabam; & ſyllabam ſyllabæ adiungendi, priuſquam dictiones integræ proferantur: cùm neque Armenios, Perſas imitentur, aut Arabes. Non enim particulatim, ſyllabatimque; ſed ſyncerè, atque integrè voces exprimi præcipiunt; literaſque priùs, non in ſyllabas coëuntes, ſed ſuo ſingulas ſonu reddi; ita tamen vt conſonæ, in quas deſinunt, adimantur: & ა An, pronuntiant A, ბ Ban Ba, დ Don Do, ზ Szen Sze &c. licet alij maliint, exceptis vocalibus, in A deſinere omnes, vt დ Don Da, შ Scin Scia, ძ Zil Za, &c. ratio tamen vtraque in vſu eſt; quam vt in tabula experiamur, pro paradigmate, eam precationem ſubijcio, quam ad diuinum Numen implorandum, Tyrones primiter edocent. In ea verò, vbi hæc litera ჯ ponitur, diſcipulorum nomina deſcribuntur.

უფალო . ღმერთო . გაუმარჯუე . მონასა . შენსა . ჯ . რათა .
ისწავლოს . და . გადიდებდეს . მიეც . გულისა . ხმა . ყოველთა .
უამთა . ცხოვრებისათა . ვულავცა . ამინ . და . ამინ .

Huius igitur implorationis dictiones, hoc modo lectitant Iberorum adoleſcentuli.

უფალო . V : pha : A : la : O. Vphalo.
ღმერთო . Gha : ma : E : Ra : Tha : O : Ghmertho.
გაუმარჯუე . Gha : A : V : Ma : Ra : Gia : V : E. Ghaumargiue.
მონასა . Ma : O : Na : A : Sa : A, Monaſa.
შენსა . Scia : E : Na : Sa : A. Scenſa. &c.

Placet etiam nonnullos conſonantes, in quas voces incidunt,

expri-

exprimere quodammodo, ſine conſortione vocalium: ſed hoc parui intereſt noſtra, docentium, iuxta conſuetudinem Latinorum, cœteris longè faciliorem.

CAPVT SEXTVM.

Aliarum Gentium characteres, quibus adhuc deſcriptos libros reperimus Iberorum.

CVm Iberiæ Regionem, hoſtium incurſionibus deuaſtatam; iam diù non modò Græci, & Perſæ, ſed Armenij flamines, & Antiſtites incoluerint: inde ortum eſt etiam, vt in ea, paſſim plura Opuſcula inueniantur, vernacula quidem, atque Iberica lingua: ſed literis vel Armenijs, vel Arabicis exarata, quæ magni refert noſtra intelligere, vt eorum ritus, atque errores deprehendamus. Ideò viſum eſt ſub finem huius Ibericæ Orthographiæ, harum Gentium elementa paucis adijcere; vt noſtrates eò ad propagandam fidem legati, commodiùs, pleniùſque de omnibus, vno hoc Opere erudiantur. Primò igitur Armenia elementa, in ſubiecta ſyllabo tradimus: vbi correſpondentiam intueberis, literarum Ibericarum; pro quibus paſſim in tota ea Regione ſubſtituuntur.

ALPHABETVM
ARMENIO-IBERICVM.

Ordo.	Figura.			Literarum Appellatio.		Valor.	Numerus.
1	Ա	ա	Այբ	Aip	ანი	ა	I
2	Բ	բ	Բեն	Pien	ბანი	ბ	II
3	Գ	գ	Գիմ	Chim	განი	გ	III
4	Դ	դ	Դա	Tha	თა	თ	IV
5	Ե	ե	Եչ	Iec	იეჩ		V

ſed hac litera in Ibericis dictionibus non vtuntur.

Ordo.	Figura.			Literarum Appellatio.		Valor.	Numerus.
6	Զ	զ	Զա	Szà	ზა	ზ	VI
7	Է	է	Է	E	ე	ე	VII
8	Ը	ը	Ըթ	Iet	იეთ		VIII

hæc in ſolis vocibus Armenijs adhibetur.

Or-

Ordo.	Figura.			Appellatio.		Valor.	Numerus.
9	Թ	թ	Թո	Tuà	ტუა	ტ	IX
10	Ժ	ժ	Ժէ	Sge	ჟე	ჟ	X
11	Ի	ի	Ինի	Ini	ინი	ი	XX
12	Լ	լ	Լիւն	Liun	ლიუნ	ლ	XXX
13	Խ	խ	Խէ	Chhe	ხე	ხ	XL
14	Ծ	ծ	Ծա	Za	ძა	ძ	L
15	Կ	կ	Կեն	Ghien	გიენ	გ & ღ	LX
16	Հ	հ	Հօ	Hhua	ჴუა ჯ & ჲ & ჵ		LXX
17	Ձ	ձ	Ձա	Zzà	ცა	ც	LXXX
18	Ղ	ղ	Ղատ	Cqath	ყათ	ყ	XC
19	Ճ	ճ	Ճէ	Ge	ჯე	ჯ	C
20	Մ	մ	Մեն	Mien	მიენ	მ	CC
21	Յ	յ	Յի	Hi	ჲი	ჲ	CCC
22	Ն	ն	Նու	Nu	ნუ	ნ	CCCC
23	Շ	շ	Շա	Scia	შა	შ	D
24	Ո	ո	Ոո	hanc tantùm pro nota numeri adhibitam, apud Iberos animaduertimus.			DC
25	Չ	չ	Չա	Cia	ჩა	ჩ	DCC
26	Պ	պ	Պէ	Be	ბე	ბ	DCCC
27	Ջ	ջ	Ջէ	Cce	ჭე	ჭ	DCCCC
28	Ռ	ռ	Ռա	Rra	რრა	რრ	M
29	Ս	ս	Սէ	Se	სე	ს	MM
30	Վ	վ	Վեւ	Vieu	ვიევ	ვ	MMM
31	Տ	տ	Տիւն	Diun	დიუნ	დ	MMMM
32	Ր	ր	Րէ	Re	რე	რ	$\overline{V}$
33	Ց	ց	Ցո	Zua	წუა	წ	$\overline{VI}$
34	Ւ	ւ	Հիւն	Hiun	ჲიუნ	ჲ	$\overline{VII}$
35	Փ	փ	Փիւր	Piur	ფიურ	ფ vel etiam ჲ	$\overline{VIII}$
36	Ք	ք	Քէ	Ke	ქე	ქ	$\overline{IX}$
37	Ֆ	ֆ	Ֆէ	Fe idem ac F latinum.	ჶე	ჶ	$\overline{X}$

Ex his ergo pro Ibericis vocalibus adhibentur.

ա: է: ե:

ა. ე. ი.

Vt viſum eſt in tabula: ſed binis his literulis alias reddunt.

ო: ო:

ო. ფ:

Armenij verò recentiores, ო ad inſtar Latinorum, in hunc modum adhibuere. o •

Secundò Arabum literæ à dextra ſiniſtram verſus progrediuntur; & quidem omnes ſunt conſonæ; dumque inuicem annectuntur, varias induunt formas: nam aliter in principio dictionum, aliter in fine, aliter in medio figurantur, vt videre eſt in hac tabula: vbi correſpondentiam, ac ſubſtitutionē Ibericarum animaduertes.

ALPHABETVM ARABICO-IBERICVM.

Literarum Ordo.	Numerus.	Poteſtas.	Appellatio.		Figuræ. Nexæ præcedētibus.	Nexæ vtrinque.	Nexæ ſequentibus.	Solæ.
1	I	Aſpira-	Aliph	ალიფ	أَلِف ـا			ا

tio leniſſima, quæ penes motiones varias ſuperadditas, cuiuſque Iberorum vocalis, æmulatur ſonum.

2	II	prorſus ſo-	Be	ბე	ـب بـ	ـبـ	بـ	ب

nat, vt ბ: verùm ſi alia duo puncta ſubſcribas ſic پ, eſt პ. vt P Latinum.

3	CCCC	ტ.	Te	ტე	ـتَ	ـتـ	تـ	ت
4	D	ტ. blæ-	Tſe	ტსე	ـثَ	ـثـ	ثـ	ث

ſum, quo non vtuntur Iberi: & ſi pro ყ, non rectè à Perſis ſubſtituatur.

5	III	ჯ. ſed ſi e-	Gim	ჯიმ	جيم ـج	ـجـ	جـ	ج

a litera, alijs duobus punctis inſigniatur ſic چ, fit ჩ Çin Ibericū.

6	VIII	ჰ. vel ხ. vel ჴ.	Hha	ჰა	حَا ـح	ـحـ	حـ	ح

Or-

Ordo.	Numerus.	Poteſtas.	Appellatio.		Figuræ	Nexæ præcedētibus.	Nexæ vtrinque.	Nexæ ſequentibus.	Solæ.
7	DC	ხ.	Chha	ხა	خَا	ـخ	ـخـ	خـ	خ
8	IV	დ.	Dal	დალ	دَال	ـد			د
9	DCC	დ. blæ-	Dſal	დსალ	ذَال	ـذ			ذ
		ſum, quo carent Iberi.							
10	CC	რ.	Re	რე		ـر			ر
11	VII	ზ. ſi au-	Zain	ზაინ		ز			ز
		tem alia duo puncta hoc modo ژ ſuperimponas, vt à Perſis ſæpius vſurpatur, effertur ad inſtar literæ ჟ Sgian.							
12	LX	ს.	Sin	სინ	سِين	ـس	ـسـ	سـ	س
13	CCC	შ.	Scin	შინ	شِين	ـش	ـشـ	شـ	ش
14	XC	სს.	Sſad	სსად	صَاد	ـص	ـصـ	صـ	ص
15	DCCC	hac exprimitur ſonus literæ ც.	Dzad	დცად	ضَاد	ـض	ـضـ	ضـ	ض
16	IX	თ.	Tha	თა	طَا	ـط	ـطـ	طـ	ط
17	DCCCC	non opus eſt hac litera apud Iberos.	Dha	თჰა	ظَا	ـظ	ـظـ	ظـ	ظ
18	LXX	neque item hac alia.	Aain	ააინ	عَين	ـع	ـعـ	عـ	ع
19	M	ღ.	Ghain	ღაინ	غَين	ـغ	ـغـ	غـ	غ
20	LXXX	ფ.	Phe	ფე	فَ	ـف	ـفـ	فـ	ف
21	C	ყ.	Cqaph	ყაფ	قَاف	ـق	ـقـ	قـ	ق
22	XX	ქ. vel კ.	Kaph	ქაფ	كَاف	ـك	ـكـ	كـ	ك
23	XXX	ლ.	Lam	ლამ	لَام	ـل	ـلـ	لـ	ل
24	XL	მ.	Mim	მიმ	مِيم	ـم	ـمـ	مـ	م
25	L	ნ.	Nun	ნუნ	نُون	ـن	ـنـ	نـ	ن

Or-

Ordo.	Numerus.	Poteſtas.	Appellatio.		Figuræ. Nexæ præcedentibus.	Nexæ vtrinque.	Nexæ ſequentibus.	Solæ.
26	V	ჰ.	He	ჰე	هَا ه	ـهـ ـهـ	هـ هـ	ه
27	VI	ვ.	Vau	ვავ	وَاوٌ ـو			و
		Hæc non	Lamaliph	ლამალიფ	لَامْأَلِفٌ ـلا			لا

eſt alia litera à reliquis diſtincta, ſed prima in ſinu vigeſimætertię.

28	X	ი conſonans	Ie	იე	يٌ ـى	ـيـ	يـ	ى

Hæ igitur, quibus Turcæ etiam vtuntur, & Perſæ, omnes ſunt conſonæ, vt diximus; omnes vtrinq; nectuntur; exceptis ا د ذ ر ز و quæ præcedentibus tantùm adhærent, vt in ipſa tabula oſtendimus. Vt autem faciliùs memoriæ dentur, iuxta numerum quem valent, ab Arabibus, octo his dictionibus complectuntur,

أَبْجَدْ هَوَزْ حُطِّي كَلَمُنْ سَعْفَصْ قَرِشَتْ ثَخَذْ ضَظَغْ

Duplæ aliæ Iberum literæ, quæ ſuperſunt, congeminatis Arabum ſimplicibus exprimuntur: & ſic س Sin & ز Zein, redditur litera შ Szen; ج Cim teſchdidato, hoc eſt reduplicato & graui, litera ჭ Cciar; غ Ghain, & ه He, litera ღ Ghhan.


Vocales deinde, quas Arabes أَلْحَرَكَاتُ Alhharkata vocant, id eſt, motiones; quia ſcilicet conſonantibus impoſitæ eas moueri, & ſonum edere cogunt, figuras non habent niſi duas nimirum ´ & ʼ: nomen verò triplex: virtute tamen, quoque Iberorum vocalibus correſpondent: Primæ itaque motionis figura, eſt quædam tranſuerſa linea, ſupra literam collocata ſic بَ, quæ recta iacitur ab Africanis, vt بٓ, & vocatur أَلْفَتْحُ Alphathho, ideſt apertio; quia os aperitur in eius prolatione: hæc verò promiſcuè vſurpatur pro ა An, & ე En, vocalibus Iberorum. Cùm autem hæc eadem vocalis figura, literis ſubſcribitur ſic بِ, vocatur أَلْكَسْرُ Alkaſro,

ideſt,

ideſt, fractio (videntur enim, veluti frangi labia cùm profertur) & fungitur munere vocalium ვ En, & ი In. Altera vocalis figura, quæ eſt ad inſtar literæ و Vau, ſic ُ, vocatur أَلضَّمّ Aldzhammo, ideſt, collectio (dum enim profertur, conſtringuntur labia, & veluti colliguntur) & ſemper ſuper literas collocata, gerit vices ო On, vel უ Vn Iberorum. Prætereà ſolent Arabes, has vocalium, ſeù motionum figuras, geminas, in fine dictionũ conſcribere, ſic ٍ ٌ vt exprimant, veluti occultè literam Nun; & hanc geminationem vocant أَلتَّنْوِين Attanuino, quam nos cum Grammaticis nunnationem, ideſt, additionem literæ ن Nun, ficto vocabulo diceremus. Demum aliæ etiam notæ orthographicæ literis apponuntur, vt أَلسُّكُون Eſſokuno ْ, ideſt quies; cuius munus eſt indicare literam, cui ſuperponitur, omni motione deſtitui, ac proinde quieſcere, hoc eſt, peculiarem ſyllabam non conſtituere, ſed ad præcedentem ſpectare, atque illius ope tantùm proferri: Secundò أَلتَّشْدِيد Etteſcdido ّ, ideſt, fortificatio, robur; cuius eſt ſonum literæ roborare, ac ſi eſſet duplex: Tertiò أَلهَمْزَة Elhamzato ء, ideſt, punctio; quæ collocatur potiſſimùm ſuper literam ا Aliph, vel ad latus eius, vel ſubtus; & innuit illam proferendam eſſe, vel motam, ſi motionem habeat; vel quieſcentem quiete prima, vt Grammatici aiunt: nam ا Aliph abſolutè picta, pro litera productionis tantùm ponitur ab Arabibus; nec niſi beneficio ſigni huius vim ſumit, qua moueatur, vel quieſcat. Et quemadmodum ſæpè ſuper ا Aliph motam, ſignum huiuſmodi, licet apponendum ſit, non apponitur, nam ex ſola motione ſubintelligitur; ita multoties ſuperſtite hoc ſigno Hamzat, ipſamet Aliph, vel compendij cauſa prætermittitur, vel cum

و, aut ى literis commutatur. Quartò ألمدّ Elmaddo ˜, ideſt, extenſio, quæ ſoli ا Aliph aliquando in medio, ſed ſæpiùs in fine dictionis apponitur; denotatque eam vel duplicari, vel longiùs ad inſtar vocalis longæ, pronuntiandam. Denique ألوصل Eluaſſlo, ideſt coniunctio, vnio, ˜, quæ ſoli quoque ا Aliph adſcribitur in principio vocum: ſcilicet cùm vna dictio, vocali ſua abiecta, cum præcedentis dictionis vltima vocali coniungitur: nihilque eſt aliud, quàm illius vnionis, & coniunctionis indicium. Alia etiam ſunt minùs principalia ſigna apud Arabes, quæ literas comitantur; & de his fusè alibi diſſeremus, in Arabica, Turcica, ac Perſica Orthographia. Hæc in Apoſtolicorum hominum gratiam, obiter ſatis ſit attigiſſe, vt vel Armenijs, vel Arabicis characteribus deſcripta, Iberorum volumina perſcrutentur.

Varias verò literarum Ibericarum figuras quas Typographus in tertio Capite prætermiſit, nos hîc excuſas, ad calcem primæ huius Tractationis adiecimus.



F I N I S
P R I M Æ P A R T I S,
Seù totius Ibericæ Orthographiæ.

ETY-

ETYMOLOGIA
ALTERA PARS GRAMMATICES

Hoc eſt

De partium Orationis formatione

INSTITVTIONES.

Nouem ſunt, in linguæ huius dialecto, Orationis partes; nimirùm: Nomen, Pronomen, Verbum, Participium, Aduerbium, Præpoſitio, Poſtpoſitio, Interiectio, & Coniunctio. De his ſingillatim, in octo hìc Capitibus differemus.

CAPVT PRIMVM.

De Nomine prima Orationis parte, eiuſque accidentibus.

QVINQVE Nomini accidunt: Genus, Numerus, Declinatio, Species, Comparatio. & de his in quinque paragraphis, qui ſequuntur:

§. PRIMVS.

De Genere Nominum Iberorum.

GEnus apud Iberos vnicum eſt, & inuariabile; nam
ლამაზი. Lamaſi, ſignificat: *pulcher, pulchra, pulchrum.*
კაი. Chai, *probus, proba, probum.*

 ლილი

დიდი »	Didi:	*magnus, magna, magnum.*
& ſic de ſingulis:	exempli gratia:	
ლამასი » კაცი »	Lamaſi chazzi,	*pulcher homo.*
ლამასი » კალი »	Lamaſi chali,	*pulchra fœmina.*
ლამასი » პირითყუი »	Lamaſi pirithchui,	*pulchrum animal.*
კაი » ბიჭი »	Chai bici,	*probus puer.*
კაი » გოგო »	Chai ghogho,	*proba puella.*
კაი » მონა »	Chai mona,	*probum mancipium.*
დიდი » მთა »	Didi mtha,	*magnus mons.*
დიდი » ჯუარი »	Didi giuarì,	*magna crux.*
დიდი » თყუილი »	Didi thchuili,	*magnum, vel ingens mendacium.*

§. SECVNDVS.

De numeris nominum.

NVmerus duplex eſt, ſingulari, pluralis: formatur autem pluralis numerus à ſingulari, adiecta ad calcem particula ბი » bi, vt

მამა »	Mama,	*pater.*	მამაბი »	Mamabì,	*patres.*
დედა »	Deda,	*mater.*	დედაბი »	Dedabì,	*matres.*
გოგო »	Ghogho,	*puella.*	გოგობი »	Ghoghobì,	*puellæ.*
წიცა »	Tzizza,	*nutrix.*	წიცაბი »	Tzizzabì,	*nutrices.*
ურძხო »	Vrzchho,	*aduena.*	ურძხობი »	Vrzchhobì,	*aduenæ.*

Nomina verò, quæ ი i vocali finiuntur, non იბი ibì, ſed in ები ebì, in plurali numero exeunt, vt

ბიჭი »	Bici,	*puer.*	ბიჭები »	Bicebì,	*pueri.*
სოლი »	Soli,	*vxor.*	სოლები »	Solebì;	*vxores.*
შვილი »	Scuili,	*filius.*	შვილები »	Scuilebì,	*filij.*
პათონი »	Pathoni,	*dominus.*	პათონები »	Pathonebì,	*domini.*
სმაკი »	Smachi,	*dæmon.*	სმაკები »	Smachebì,	*dæmones.*

§. TERTIVS.

De Nominum declinatione.

HÆc vnica eſt, & ſimplex; eiuſque caſus diſtinguuntur literis, ſeù particulis quibuſdam, calci nominum appoſitis; & ita characteriſtica Genitiui eſt litera ს, *S*, vel particula სა, Sa: Datiui eadem litera vel particula, dempta tamen ი, i, aut alia vocali, in quam deſinat nomen: Vocatiui litera ო, O: Ablatiui particula საგან Saghan, quæ per a, ab, ex, Latinè redditur, & accuſandi caſus, fit ad inſtar nominandi: verùm recto numeri ſingularis, additur plerumque particula მა ma, vt oſtendemus in ſubiectis exemplis.

PARADIGMATA

Nominum.

ბიჭი. Bici, *puer*.

Numeri		Caſus	
	Singularis.	Nominatiuus:	ბიჭი. Bici, *vel* ბიჭიმა. Bicima, *puer*.
		Genitiuus:	ბიჭისა. Biciſa, *pueri*.
		Datiuus:	ბიჭსა. Bicſa, *puero*.
		Accuſatiuus:	ბიჭი. Bici, *puerum*.
		Vocatiuus:	ბიჭო. Biciò, *ò puer*.
		Ablatiuus:	ბიჭისაგან. Biciſaghan, *à puero*.
	Pluralis.	Nominatiuus:	ბიჭები. Bicebì, *pueri*.
		Genitiuus:	ბიჭებისა. Bicebiſa, *puerorum*.
		Datiuus:	ბიჭებსა. Bicebſa, *pueris*.
		Accuſatiuus:	ბიჭები. Bicebì, *pueros*.
		Vocatiuus:	ბიჭებო. Bicebò, *ò pueri*.
		Ablatiuus:	ბიჭებისაგან. Bicebiſaghan, *à pueris*.

შვილი. Scuili, *filius*.

Numeri

Singularis.

- Nominatiuus: შვილი. Scuili, *vel* შვილიმა. Scuilima, *filij*.
- Genitiuus: შვილისა. Scuiliſa, *filij*.
- Datiuus: შვილსა. Scuilſa, *filio*.
- Accuſatiuus: შვილი. Scuili, *filium*.
- Vocatiuus: შვილო. Scuilò, *ò fili*.
- Ablatiuus: შვილისაგან. Scuiliſaghan, *à filio*.

Pluralis.

- Nominatiuus: შვილები. Scuilebi, *filij*.
- Genitiuus: შვილებისა. Scuilebiſa, *filiorum*.
- Datiuus: შვილებსა. Scuilebſa, *filijs*.
- Accuſatiuus: შვილები. Scuilebì, *filios*.
- Vocatiuus: შვილებო. Scuilebò, *ò filij*.
- Ablatiuus: შვილებისაგან. Scuilebiſaghan *à filijs*.

Nominibus verò ა A litera terminatis, ი I additur in accuſandi caſu, neque caſui vocandi, ა A vocalis eripitur, vt

მამა. Mama, *pater*.

Numeri

Singularis.

- Nominatiuus: მამა. Mama, *vel* მამამა. Mamama, *pater*.
- Genitiuus: მამასა. Mamaſa, *patris*.
- Datiuus: მამსა. Mamſa: *patri*.
- Accuſatiuus: მამაი. Mamai, *patrem*.
- Vocatiuus: მამაო. Mamaò, *ò pater*.
- Ablatiuus: მამასაგან. Mamaſaghan, *vel potiùs* მამისაგან. Mamiſaghan, *à patre*.

Pluralis.

- Nominatiuus: მამაბი. Mamabi, *patres*.
- Genitiuus: მამაბისა. Mamabiſa, *patrum*.
- Datiuus: მამაბსა. Mamabſa, *patribus*.
- Accuſatiuus: მამაბი. Mamabi, *patres*.
- Vocatiuus: მამაბო. Mamabò, *ò patres*.
- Ablatiuus: მამაბისაგან. Mamabiſaghan, *à patribus*.

დედა. Deda, *mater*.

Numeri

Singularis.

Nominatiuus:	დედა.	Deda, *vel* დედამა, Dedama,	*mater*.
Genitiuus:	დედასა.	Dedaſa,	*matris*.
Datiuus:	დედსა.	Dedſa,	*matri*.
Accuſatiuus:	დედაი.	Dedai,	*matrem*.
Vocatiuus:	დედაო.	Dedaò,	*ò mater*.
Ablatiuus:	დედასაგან.	Dedaſaghan,	*à matre*.

Pluralis.

Nominatiuus:	დედაბი.	Dedabi,	*matres*.
Genitiuus:	დედაბისა.	Dedabiſa,	*matrum*.
Datiuus	დედაბსა.	Dedabſa,	*matribus*.
Accuſatiuus:	დედაბი.	Dedabi,	*matres*.
Vocatiuus:	დედაბო.	Dedabò,	*ò matres*.
Ablatiuus:	დედაბისაგან.	Dedabiſaghan,	*à matribus*.

Sed monoſyllaba, & quædam alia nomina quorum pronuntiatio difficilior eſt, & aſpera, datiuum genitiuo habent ſimilem, atque ო O ſuperadditum in vocatiuo, vt

Nominatiuus:	ხბო.	Chhbò,	*vitulus*.
Genitiuus:	ხბოსა.	Chhboſa,	*vituli*.
Datiuus:	ხბოსა.	Chhboſa,	*vitulo*.
Accuſatiuus:	ხბოი.	Chhboi,	*vitulum*.
Vocatiuus:	ხბოო.	Chhboò,	*ò vitule*.
Ablatiuus:	ხბოსაგან.	Chhboſaghan,	*à vitulo*.

Nominatiuus:	დრო.	Dro,	*tempus*.
Genitiuus:	დროსა.	Droſa,	*temporis*.
Datiuus:	დროსა.	Droſa,	*tempori*.
Accuſatiuus:	დროი.	Droi,	*tempus*.
Vocatiuus:	დროო.	Droò,	*ò tempus*.
Ablatiuus:	დროსაგან.	Droſaghan,	*à tempore*.

Nominatiuus:	მთა.	mtha,	*mons*.
Genitiuus:	მთასა.	mthaſa,	*montis*.
Datiuus:	მთასა.	mthaſa,	*monti*.
Accuſatiuus:	მთაი.	mthai,	*montem*.
Vocatiuus:	მთაო.	mthao,	*ò mons*.
Ablatiuus:	მთასაგან.	mthaſaghan,	*à monte*.

Pagorum, Regionum, aut his ſimilium nomina, quæ in recto თი ti ſyllaba terminantur, in dandi caſu ც z litera finiuntur, vt

Nominatiuus:	ქუპულეთი.	Cupuleti,	*Copuletum*.
Datiuus:	ქუპულეც.	Cupulez,	*Copuleto*.
Nominatiuus:	გრიგოლეთი.	Ghricholeti,	*Grecoletum*.
Datiuus:	გრიგოლეც.	Ghricholez,	*Grecoleto*.
Nominatiuus:	აკეთი.	Acheti,	*Achetium*.
Datiuus:	აკეც.	Achez,	*Achetio*.
Nominatiuus:	ოზურგეთი.	Oſzurgheti,	*Oſurietum*.
Datiuus:	ოზურგეც.	Oſzurghez,	*Oſurieto*.
Nominatiuus:	ლანჩხუთი.	Langichuti,	*Langicutiũ*.
Datiuus:	ლანჩხუც.	Langichuz,	*Langicutio*.

& à საფრანგი. Saphranchi, *Europa*, fit საფრანგეც. Saphranchez, *Europæ*.

Præterea inanimati nominis ablatiuus in გი gi, ჩი ci; ში ſci, და da, vel დამა. dama, plerumque deſinit; & hæ particulæ reſpondent in, & ex Latinorum, vt

ბოსტანი. Buſtanì, *hortus*. ბოსტანგი. Buſtangi:, *in horto*. ბოსტანიდ. Buſtanida; *vel* ბოსტანიდამა. Buſtanidama, *ex horto*.

სოფელი. Sopeli, *pagus*. სოფელჩი. Sopelci, *in pago*. სოფელიდ. Sopelida, *vel* სოფელიდამა. Sopelidama, *ex pago*.

საყდარი. Saghdarì, *templum*. საყდარში. Saghdaſci, *in templo*. საყდარიდა. Saghdarida, *vel* საყდარიდამა. Saghdaridama, *ex templo*.

ოდიში

ოდიში. Odiſci, *Colchis*: etiam ოდიში. Odiſci, *in Colchide*: ოდიშიდამა. Odiſcidama, *ex Colchide*.

ბაზარი. Bazarì, *emporium*. ბაზარში. Bazarſci, *in emporio*. ბაზარიდამა. Bazaridama, *ex emporio*.

Sed à ხელი. Chheli, *manus*; fit ხელთა. Chheltha, *in manu*. & à სახელი. Sachheli, *nomen*; fit სახელითა. Sachhelitha, *in nomine*. particulæ autem illæ სა ſa, gignendi, vel dandi caſus, ა a demunt Iberi, ſi poſt nomen in genitiuo, vel datiuo poſitum, ſequatur aliud nomen; vt ſi Domini machæram, Ephœbi gladium, Puellæ annulum diceres, Ibericè redderentur:

პათონის. დაშინა. ვაჟის. დანა. გოგოს. ბეჭედი.
Pathonis daſcina, Vagis dana, Ghoghos becedì.

non პათონისა. დაშინა. ვაჟისა. დანა. გოგოსა. ბეჭედი.
Pathoniſa daſcina, Vagiſa dana, Ghoghoſa becedì.

& hoc in datiũo etiam, & in vtroque numero eſt obſeruandum.

Item aduertendum, quòd particulæ მა ma, quæ additur recto, quandoque ნ n litera adijcitur: nempè ſi immediatè vox ſequatur, quæ à vocali ſumat initium, vt, *Deus ſcit*.

ღმერთიმან. იცის. Ghmerthiman izzis.
non ღმერთიმა. იცის. Ghmerthima izzis.

Demùm plerumque in Codicibus, pluralem numerum reperi, in ნი ni particulam exeuntem; eiuſque genitiuum, in particulam თა tha; & in eandem datiuum; vocatiuum in ნო. & ablatiuum in particulam თაგან. thaghan; exempli gratia:

მეფე. Mepe, *Rex.*

- **Numeri.**
  - **Singularis.**
    - Nominatiuus: მეფე. mepe, *vel* მეფემა. mepema, *Rex.*
    - Genitiuus: მეფესა. mepeſa, *Regis.*
    - Datiuus: მეფსა. mepſa, *Regi.*
    - Accuſatiuus: მეფეი. mepei, *Regem.*
    - Vocatiuus: მეფეო. mepeò, *ò Rex.*
    - Ablatiuus: მეფესაგან. mepeſaghan, *vel* მეფისაგან. mepiſaghan, *à Rege.*
  - **Pluralis.**
    - vel
      - Nominatiuus: მეფები. mepebì, *Reges.*
      - Genitiuus: მეფებისა. mepebiſa, *Regum.*
      - Datiuus: მეფებსა. mepebſa, *vel etiam* მეფებისა. mepebiſa, *Regibus.*
      - Accuſatiuus: მეფები. mepebì, *Reges.*
      - Vocatiuus: მეფებო. mepebò, *ò Reges.*
      - Ablatiuus: მეფებისაგან. mepebiſaghan, *à Regibus.*
    - vel
      - Nominatiuus: მეფენი. mepeni, *Reges.*
      - Genitiuus: მეფეთა. mepetha, *Regum.*
      - Datiuus: მეფეთა. mepetha, *Regibus.*
      - Accuſatiuus: მეფენი. mepeni, *Reges.*
      - Vocatiuus: მეფენო. mepenò, *ò Reges.*
      - Ablatiuus: მეფეთაგან. mepethaghan, *à Regibus.*

შაჰ. Sciah, *Imperator.*

- **Singularis.**
  - Nominatiuus: შაჰ. Sciah, *vel* შაჰამა. Sciahama, *Imperator.*
  - Genitiuus: შაჰასა. Sciahaſa, *Imperatoris.*
  - Datiuus: შაჰსა. Sciahſa, *Imperatori.*
  - Accuſatiuus: შაჰი. Sciahi, *Imperatorem.*
  - Vocatiuus: შაჰო. Sciahò, *ò Imperator.*
  - Ablatiuus: შაჰისაგან. Sciahiſaghan, *ab Imperatore.*

Nume-

Numeri. Pluralis.

- Nominatiuus: შაჰაბი. Sciahabì, *Imperatores*.
- Genitiuus: შაჰაბისა. Sciahabiſa, *Imperatorum*.
- Datiuus: შაჰაბსა. Sciahabſa, *Imperatoribus*.
- vel Accuſatiuus: შაჰაბი. Sciahabì, *Imperatores*.
- Vocatiuus: შაჰაბო. Sciahabò, ò *Imperatores*.
- Ablatiuus: შაჰაბისაგან. Sciahabiſaghan, *ab Imperatoribus*.

vel

- Nominatiuus: შაჰანი. Sciahani, *Imperatores*
- Genitiuu: შაჰათა. Sciahatha, *Imperatorum*.
- Datiuus: შაჰათა. Sciahatha, *Imperatoribus*.
- vel Accuſatiuus: შაჰანი. Sciahani, *Imperatores*.
- Vocatiuus: შაჰანო. Sciahanò. ò *Imperatores*.
- Ablatiuus: შაჰათაგან. Sciahathaghan, *ab Imperatoribus*.

Sed hæc nominum inflexio, in ſcribendo potiùs, quàm in loquendo vſurpatur.

§. QVARTVS.

De Nominum ſpeciebus.

SPecies duplex eſt: altera primitiua, ſeù primæ poſitionis; nominum ſcilicet, quæ aliunde non formantur, vt ყუა. Cqua, *ſaxum*; altera deriuatiua eorum, quæ ab alijs nominibus deriuantur, vt ყუაიანი. Cquaiani, *ſaxeus*. hæc autem deductio

apud Iberos multipliciter fit: alia enim nomina deriuantur à ſubſtantiuis, ali a ab adiectiuis, alia ab aduerbijs, alia à numeris; & quidem

DERIVANTVR
à Subſtantiuis.

PRimò quæ poſſeſſiua appellamus; & plerumque materiam adſignificant; & hæc fiunt addita primitiuis particula იანი, Iani; exempli gratia:

Primitiua.	Deriuatiua.
ოქრო. Ochro, *aurum*.	ოქროიანი. Ochriani, *aureus*.
სპილენძი. Spilenzi, *æs*.	სპილენძიანი. Spilenziani, *ænus*.
მარილი. Marili, *ſal*.	მარილიანი. Mariliani, *ſale conditus*.
ბალანი. Balani, *pilus*.	ბალანიანი. Balaniani, *piloſus*.
წივი. Tziui, *frigus*.	წივიანი. Tziuiani, *frigidus*.
სოლი. Soli, *vel* ცოლი. Zzoli, *vxor*.	სოლიანი. Soliani, *vel* ცოლიანი. Zzoliani, *qui habet vxorem*.
შვილი. Scuili, *filius*.	შვილიანი. Scuiliani, *qui habet filios*.
ჩჳუი. Cchui, *ingenium, induſtria*.	ჩჳუიანი. Cchuiani, *ingenioſus*.

Ita etiam fiunt ბედიანი. Bediani, *fortunatus, felix, cui ſors arridet; cuncta proſpera accidunt*. ალიანი. ჩალიანი. Aliani, Cialiani, *parum huius & illius rei*. ხერხიანი. Chherchiani, *induſtrius*; *atque his ſimilia*.

Secundò, quæ dignitates, officia, vel opificia exprimunt; & fiunt addita primitiuis particula მე me; exempli gratia:

Primitiua.	Deriuatiua.
ხუამალდი. Chhuamaldi, *nauis*.	მეხუამალდი. Mechhuamaldi, *nauta*.

Pri-

Primitiua.	Deriuatiua.
ბუსტანი. Buſtani, *hortus.*	მებუსტანი. mebuſtani, *hortulanus.*
თოხი. Thochhi, *paſtinum.*	მეთოხი. methocchi, *paſtinator.*
ბაჟი. Baſgie, *vectigal.*	მებაჟი. mebaſgie, *vectigalis, publicanus.*
თევზი. Thebſzi, *piſcis.*	მეთევზი. methebſzi, *piſcator.*
აქლემი. Achlemi, *camelus.*	მეაქლემი. meachlemi, *camelarius.*
სჯული. Sgiuli, *fides.*	მესჯული. meſgiuli, *fidei iuſſor.*
შუბი. Sciubi, *ſariſſa.*	მეშუბი. meſciubi, *qui ſariſſam geſtat.*
ბარგი. Barghi, *mantica, pera, bulga.*	მებარგენი. mebargheni, *baiulus, qui bulgas geſtat.*
ღვინო. Ghhuino, *vinum.*	მეღვინო. meghhuino, *cuſtos cellæ vinariæ.*
თეზე. Theſze, *rete, vericulum.*	მეთეზე. metheſze, *reticularius, & qui piſcatur vericulo.*
ჭური. Ciuri, *vrceus, teſta figulinum.*	მეჭური. meciuri, *figulus.*
კლიტე. Chlithe, *clauis.*	მეკლიტე. mechlithe, *clauſtrarius.*
პური. Purì, *panis.*	მეპური. mepuri, *piſtor.*
თოფი. Thopi, *archibuſius, tormentum manuarium.*	მეთოფი. methopi, *bipyrobolarius,*

Ita etiam მესთუმბრე. Meſthumbre, *ſtructor.* მეჯინიბე. meginibè, *præfectus ſtabuli, agitator, domitor equorum.* მეძეურენი. mezeureni, *venator.* მეძაღლები. mezaghlebì, *qui canes, vel leporarios ducit.* მეჯოღე. megioghe, *bubulcus.* მეღამბეჩი. meghambeci, *qui bubalos cuſtodit.* მენავე. menaue. მეთარღე. metharghe. მეჩუამალდე. mechuamalde, *nauicularij.* მეხარაჯე. mecharage, *per quem ſoluitur tributum.*

Quæ

Quæ verò nomina exprimunt fabros, nobilioreſque artes ſignant, & opificia, fiunt addito მჭედელი. mcedelì: exempli gratia.

Primitiua.	Deriuatiua.
ოქრო. Ochro, *aurum*.	ოქრომჭედელი. Ochroſmcedelì, *faber aurarius*.
ვერცხლი. Verſchli, *argentum*.	ვერცხლისმჭედელი. Verſchliſmcedelì, *faber argentarius*.
მარგარითე. Margharithe, *margarita*.	მარგარითესმჭედელი. Margharithemſcedelì, *Gemmarius*.

Tertiò deducuntur concreta; & hæc fiunt abdita abſtractis, particula ელი eli, ალი ali, vel ილი ili: nempè vt vocis ſono meliùs congrueret; exempli gratia:

Primitiua.	Deriuatiua.
მადრი. Madri, *pietas*.	მადრიელი. Madrielì, *pius*.
სოდუა. Sodua, *crimen*.	სოდუილი. Soduili, *criminoſus*.
გემო. Ghemo, *ſapor*.	გემბრიელი. Ghembrieli, *ſapidus*.
საქრუ. Sachru, *admiratio*.	საქრუელი. Sachrueli, *admirandus*.

Quæ verò abſtracta eiſdem particulis terminantur, concreta habent ſibi ſimilia, vt ქაჩალი. Chacialì, *porrigo: item* ქაჩალი. Chacialì, *qui porrigine laborat, &c.*

Quartò, nomina patria, eorum ſcilicet, qui Prouincias, Inſulas, Vrbes, Oppida, Pagos, Caſtella, aut alia loca incolunt, & hæc fiunt addita primitiuis particula ელი eli; exempli gratia:

Primitiua.	Deriuatiua.
გურია. Ghuria, *Guria, Regio in Iberia*.	გურიელი. Ghurieli, *Gurius*.

Pri-

Primitiua.	Deriuatiua,
გორი. Ghori, *Goridis: Vrbs primaria in Regno Cardelij.*	გორიელი. Ghorieli, *Goridenſis.*
ჭუპულეთი. Chupuleti, *Copuletum.*	ჭუპულეთელი. Chupuleteli, *Copuletenſis.*
ოზურგეთი. Oſzurgheti, *Oſurietum.*	ოზურგეთელი. Oſzurgheteli, *Oſurietenſis.*
აჩეთი. Acheti, *Achetium.*	აჩეთელი. Acheteli, *Achetenſis.*
აჭუთი. Achuti, *Acutium.*	აჭუთელი. Achuteli, *Acutenſis.*
ბაზარი. Bazari, *Emporium.*	ბაზარიელი. Bazarieli, *qui quæſtus, & vendendi rei cauſa verſatur, & degit in Emporio.*

Ita igitur hac particula ელი eli, incolæ potiùs quàm oriundi, vel indigenæ deſignantur; hi enim ური vri, vel ული vli frequentiùs finiuntur; exempli gratia:

Primitiua.	Deriuatiua.
ოდიში. Odiſci, *Colchis.*	ოდიშური. Odiſciuri, *Colchus, & Colchiacus; vel qui à Colchide trahit originem.*
გურია. Ghuria, *Guria.*	გურიელური. Ghurieluri, *ortus in Regno Guriæ, vel à Gurijs parentibus natus.*
ყიზილბაში. Chiſzilbaſci, *vox Turcica, denotans Perſam, qui ſcilicet rubro velamine faſciat caput.*	ყიზილბაშური. Chiſzilbaſciuri, *vel ipſe Perſa, vel oriundus à Perſis.*

Ita etiam fit ინდიური. Indiuri, *Indus*, &c. ſimilia autem nomina deducuntur à pronominibus & aduerbijs, vt dicemus.

Quin-

Quintò nomina abſtracta quæ apud Latinos ſunt fœminini generis; & hæc fiunt addita primitiuis particula ო-ბა obà; exempli gratia:

Primitiua.	Deriuatiua.
ღმერთი. Ghmerthi, *Deus.*	ღმერთ-ობა. Ghmerthobà, *Deitas.*
კაცი. Chazzi, *homo.*	კაც-ობა. Chazzobà, *humanitas.*
ეშმაკი. Eſcmachi, *Diabolus.*	ეშმაკ-ობა. Eſcmachobà, *Italicè Diauolaria.*
სახელი. Sachheli, *nomen.*	სახელ-ობა. Sachhelobà, *nominatio.*
გუარი. Cquari, *cognomen.*	გუარ-ობა. Cquarobà. *cognomentum, cognominatio.*
აქიმი. Achimi, *medicus.*	აქიმ-ობა. Achimobà, *medicina, ars medendi, medicatio.*
თევზი. Thebſzi, *piſcis.*	თევზ-ობა. Thebſzobà, *piſcatus, piſcatio, actus piſcandi.*
გრძნეული. Ghirzinauli, *veneficus, faſcinans: Italicè, ſtregone.*	გრძნეულ-ობა. Ghirzinaulobà, *veneficij artificium, faſcinatio, Italicè Stregaria.*
მოციქული. Mozzichuli, *legatus.*	მოციქულ-ობა. Mozzichulobà, *legatio.*

Sextò, nomina capſarum, receptaculorum, cellariorum, vaſculorum, repoſitoriorum, & ſimilium locorum, vbi aliqua continentur, reponuutur, coadunantur, manent, cuſtodiuntur: Item earum rerum, quæ aliquid vel iuuant, vel ſeruant, vel eius vſui deſeruiunt; & hæc fiunt addita primitiuis particula სა ſa; exempli gratia:

Primitiua.	Deriuatiua.
ბეჭედი. Becedi, *annulus.*	საბეჭედი. Sabecedi, *dactylotheca, annulorum capſula.*

Pri-

Primitiua.	Deriuatiua.
სანთელი. Santheli, *candela*.	სასანთელი. Saſantheli, *candelabrum vel candelabrus, inſtrumentum in quo figitur candela ad lucendum.*
ქათამი. Chathamì, *gallina*.	საქათამი. Sachathamì, *gallinarium, locus in quo aluntur gallinæ.*
ბათი. Bathi, *anſer*.	საბათი. Sabathi, *locus vbi anſeres cuſtodiuntur.*
მარილი. Marili, *ſal*.	სამარილი. Samarili, *ſalinum, vaſculum in quo ſal reponitur ad menſæ vſum.*
თრედი. Thredi, *columbus*.	სათრედი. Sathredi, *columbarium.*
ყველი. Chueli, *caſeus*.	საყველი. Sachueli, *caſeale, locus in quo ſeruatur caſeus.*
თევზი. Thebſzi, *piſcis*.	სათევზი. Sathebſzi, *piſcina, foſſa aquæ fouendis piſcibus.*
ხუარბალი. Chhuarbalì, *triticum, frumentum*.	სახუარბალი. Sachhuarbalì, *granarium, horreum; quod etiam dicitur:* ბეღელი. Beghelì.
წიგნი. Tzighni, *Codex, Liber*.	საწიგნი. Satzighni, *foruli, ſiue armariola & capſulæ in quibus Codices reponuntur.*
თეთრი. Thethri, *numus, moneta*.	სათეთრი. Sathethri, *arca numaria.*

Ita etiam à თუალი. Thuali, *oculus*; fit სათუალი. Sathuali, *ſpecillum, conſpicillum, hoc eſt, vitrei illi orbiculi, quos ſenes, quò clariùs cernant, oculis admouent*; & à სათუალი. Sathuali, *ſpecillum, deducitur* სასათუალი. Saſathuali, *capſula ſpecillorum*. ſic საკითი. Sacithi, *eſt cauea in qua auiculæ tenentur.* სამარხო. Samarcho, *cibus quo veſcimur cùm ieiunamus; quò ſcilicet ſeruamus ieiunium.* სასხნილო. Saſchnilo, *quo veſcimur cùm non ieiunamus.*

Se-

Septimò nomina Regionum, Prouinciarum, Inſularum, & ſimilium, quæ fiunt addita primitiuis ſyllaba სა • ſa, vel particula ობა • obà; exempli gratia:

Primitiua.	Deriuatiua.
ქართუელი • Chartueli, *Iberus*.	საქართუელი • Sachartueli, *vel* ქართუელობა • Chartuelobà, *Iberia*.
თათარი • Thatarì, *Turca*.	სათათარი • Sathatharì, *vel* თათარობა • Thatharobà, *Turcarum Regio*.
ფრანგი • Phranchi, *Europæus*.	საფრანგი • Saphranchi, *vel* ფრანგობა • Phranchobà, *Europa*.
არმენი • Armenì, *Armenius*.	საარმენი • Saarmenì, *vel* არმენიობა • Armeniobà, *Armenia*.

Octauò patronymica, quæ religionem, fidem, vel ſectam ſignificant; & hæc fiunt addita primitiuis particula იანი • iani; exempli gratia:

Primitiua.	Deriuatiua.
ქრისთე • Chriſthe, *Chriſtus Dominus*.	ქრისთიანი • Chriſthianì, *Chriſtianus*.
მაჰმედი • Mahhammedì, *impius Maumedes*.	მაჰმედიანი • Mahhammediani, *ſectator Maumedis*.
იაკობი • Iachobì, *Iacobus*.	იაკობიანი • Iachobiani, *Jacobita*.
ლუთერი • Lutheri, *Lutherus*,	ლუთერიანი • Lutheriani, *Lutheranus*.

Sæpè etiam hac particula denotantur alicui vitio, vel ſtudio mancipati, vt à ღუინო • Ghhuino, *vinum*; ღუინიანი • Ghhuiniani, *vinolentus*, *vinipotor*, *ebrioſus*, *&c*.

Nonò

Nonò, nomina, quibus Cœlitum, & Sanctorum ſolennia ſeù feſta ſignificantur; & hæc fiunt addita primitiuis particula ობა. obà; exempli gratia:

Primitiua.	Deriuatiua.
იუანნე. Iuanne, *Ioannes.*	იუანნობა. Iuannobà, *dies feſtus ſancti Ioannis.*
გიორგი. Ghiorghi, *Georgius.*	გიორგობა. Ghiorghobà, *dies feſtus ſancti Georgij.*
გრიგოლაი. Ghricholai, *Gregorius.*	გრიგოლობა. Ghricholobà, *dies feſtus ſancti Gregorij.*
ბარბალო. Barbalo, *Barbara.*	ბარბალობა. Barbalobà, *dies feſtus ſanctæ Barbaræ.*
ელი. Elì, *Elias.*	ელიობა. Eliobà, *dies feſtus ſancti Eliæ.*
მარინო. Marino, *Marina.*	მარინობა. Marinobà, *dies feſtus ſanctæ Marinæ.*
ნინო. Ninò, *quam martyrologium Romanum ſub die 15. Decembris, Chriſtianam Ancillam vocat, quæ virtute miraculorum Iberos tempore Conſtantini ad Chriſti fidem perduxit.*	ნინობა. Ninobà, *dies feſtus, ſeù potiùs feſtiuitas, ſolennitas ſanctæ Ninonis, vel Chriſtianæ ancillæ.*

Decimò, nomina Epiſcoporum; & hæc fiunt addita primitiuis, hoc eſt, nominibus Eccleſiarum, quibus præſident, particula დელი deli, vel ელი eli; & ita exempli gratia:

Gurienſes, & Colchiaci Epiſcopi ſunt	შემოქმედელი.	Sciamochmedeli.
	კილოსმენდელი.	Chiloſmendeli.
	ალავერდელი.	Allauerdeli.
	სქენინჭიქელი.	Schenincicheli.
	თიბილელი.	Thibileli.

Vndecimò, quæ fictionem & ſimulationem ſignificant; & hæc fiunt addita primitiuis litera ი i; exempli gratia:

Primitiua.	Deriuatiua.
ბერი. Beri, *Monachus*.	იბერი. Iberi; *qui ſimulat ſe Monachum*.
წმინდა. Tziminda, *Sanctus*.	იწმინდა. Itzminda, *qui fictam ſanctitatis ſimilitudinem refert*.
მორჩიმული. Morcimuli, *Diues*.	იმორჩიმული. Imorcimuli, *qui fingit ſe diuitem*.

Sed hunc dicendi morem apud quendam ſemel vſitatum animaduerti; nec in eorum libris inuenio. Deinde

DERIVANTVR
ab Adiectiuis.

Pleraque ex dictis, præcipuè abſtracta quæ, vt dictum eſt, fiunt particula ობა. obà; exempli gratia:

Primitiua.	Deriuatiua.
თეთრი. Tetri, *albus*.	თეთრობა. Tetrobà, *albedo*.
შავი. Sciaui, *niger*.	შავობა. Sciauobà, *nigredo*.
მართალი. Marthali, *iuſtus*.	მართალობა. Marthalobà, *iuſtitia*.
გრიძელი. Ghrizeli, *longus*.	გრიძელობა. Ghrizelobà, *longitudo*.
მოკლე. Mochle, *breuis*.	მოკლეობა. Mochleobà, *breuitas*.
დიდი. Didi, *magnus*.	დიდობა. Didobà, *magnitudo*.

Item etiam deriuantur quæ ſexto loco tradidimus particula სა; & à სწორა. Szora, *æquale, æquabile*; deducunt სასწორა. Saſzora, *libra, bilances, ſtatera, inſtrumentum quo res æquantur, ponderantur, &c.* quæ autem quarto loco docuimus particula ური.

Vri,

Vri, ab adiectiuis, pronominibus, alijſque orationis partibus etiam effluunt, vt ახლობური. Achhloburi, შორებული. Sciorebuli, შენებური. Sceneburi, ჩუენებური. Ciueneburi, თქუენებური. Thchueneburi; *ideſt, qui propè, procul, apud te, apud nos, apud vos ortus eſt*. & tertiò

DERIVANTVR
ab Aduerbijs.

ADiectiua quæ ad tempora referuntur; & hæc fiunt particula მდელი mdeli, exempli gratia:

Primitiua.	Deriuatiua.
დღეს. Dghes, *hodie*.	დღემდელი. Dghemdeli, *hodiernus*.
დილას. Dilas, *mane*.	დილამდელი. Dilamdeli, *matutinus*.
ხუალ. Chhual, *cras*.	ხუამდელი. Chhuamdeli, *craſtinus*.
გუშინ. Ghuſcin, *heri*.	გუშიმდელი. Ghuſcimdeli, *heſternus*.

Hæc etiam nomina ab alijs orationis partibus deducuntur; vt à წარჩან. Cciarcian, *annus præteritus*. წარჩემდელი. Cciarcemdeli, *quod ad id tempus pertinet*.

Et his ſimilia obiter hìc aduerte à menſibus deriuari; quorum nomina hæc ſunt:

იანუარ.	Ianuar,	*Ianuarius*,
თებრუარ.	Thebruar,	*Februarius*,
მართი.	Marthi,	*Mertius*,
აპრილი.	Aprili,	*Aprilis*,
მაიცი.	Maizzi,	*Maius*.
იანო-ბისთუე.	Ianobiſtue,	*Iunius*.
ყირიკო-ბისთუე.	Cqirichobiſtue;	*Iulius*.
მოშო-ბისთო.	Moſciobiſto,	*Auguſtus*.

 ქუენი-

ეუკენისთვე. Eugheniſto, *September*.
სიპობისთვე. Sipobiſto, *October*.
გიორგობისთვე. Giorgobiſto, *Nouember*.
ქრიშობისთვე. Chriſciobiſto, *December*.

Et ita ab his deducitur ქრიშობისთვემდელი. Chriſciobiſtemdeli, გიორგობისთვემდელი. Giorgobiſtemdeli, & cœtera, quæ eiuſdem ſunt ſignificationis cum his, quæ ſuperiùs diximus. nunc autem ſupereſt vt recenſeamus

DERIVATIONES
à Numeris.

ET quidem numeralia nomina, ſeù numeri Cardinales ſunt:

ერთი. Erthi, *vnus, vna, vnum*.

ორი. Ori, *duo, duæ, duo*.

სამი. Sami, *tres, tria*.

ოთხი. Othchhi, *quatuor*.

ხუთი. Chhuthi, *quinque*.

ექუსი. Ekuſi, *ſex*.

შჳდი. Scuidi, *ſeptem*.

რუა. Ruà, *octo*.

ცხრა. Zchhrà, *nouem*.

ათი. Athi, *decem*.

თერთმეტი. Therthmethì, *vndecim*.

თორმეტი. Thormethì, *duodecim*.

ცამეტი. Zzamethì, *vel* სამეტი. Samethí, *tredecim*.

ოთხმეტი. Thothchhmethì, *quatuordecim*.

თხუთმეტი. Thchhuthmethì, *quindecim*.

თექუს.

თექუსმეთი. Thekuſmethì, *ſexdecim.*

ჩვიდმეთი. Ccuidmethì, *ſeptemdecim.*

თურამეთი. Thuramethì, *decem & octo, duodeuiginti.*

ცხრამეთი. Zchhramethì, *vndeuiginti.*

ოცი. Ozzi, *vigintt.*

ოციდაერთი. Ozzidaerthì, *viginti vnus, a, um.*

ოცდაორი. Ozdaori, *viginti duo, duæ, &c.*

ოცდასამი. Ozdaſami, *viginti tres, tria.*

ოცდაოთხი. Ozdaorhchhi, *viginti quatuor.*

ოცდახუთი. Ozdachhuthi, *viginti quinque.*

ოცდაექუსი. Ozdaekuſi, *viginti ſex.*

ოცდაშვიდი. Ozdaſcuidi, *viginti ſeptem.*

ოცდარვა. Ozdaruà, *duodetriginta.*

ოცდაცხრა. Ozdazchhrà, *vndetriginta.*

ოცდაათი. Ozdaathì, *triginta.*

ოცდათერთმეთი. Ozdatherthmethì, *triginta vnus, a, um.*

ოცდათორმეთი. Ozdathormethì, *triginta duo, duæ, &c.*

ოცდაცამეთი. Ozdazzamethì, *triginta tres, tria.*

ოცდათოთხმეთი. Ozdathothchhmethì, *triginta quatuor.*

ოცდათხუთმეთი. Ozdathchhuthmethì; *triginta quinque.*

ოცდათექუსმეთი. Ozdathekuſmethì, *triginta ſex.*

ოცდაჩვიდმეთი. Ozdaccuidmethì, *triginta ſeptem.*

ოცდათურამეთი. Ozdathuramethì, *triginta octo.*

ოცდაცხრამეთი. Ozdazzchhramethì, *triginta nouem.*

ორმოცი. Ormozzi, *quadraginta.*

ორმოც-

ორმოცდაერთი. Ormozzdaerthi, *quadraginta vnus, a, um.*

ორმოცდაორი. Ormozzdaori, *quadraginta duo, duæ, &c.*

ორმოცდასამი. Ormozzdaſami, *quadraginta tres, tria.*

ორმოცდაოთხი. Ormozzdaothchhi, *quadraginta quatuor.*

ორმოცდახუთი. Ormozzdachhuthi, *quadraginta quinque.*

ორმოცდაექუსი. Ormozzdaekuſi, *quadraginta ſex.*

ორმოცდაშვიდი. Ormozzdaſcuidi, *quadraginta ſeptem.*

ორმოცდარვა. Ormozzdaruà, *quadraginta octo.*

ორმოცდაცხრა. Ormozzdazzchhrà, *quadraginta nouem.*

ორმოცდაათი. Ormozzdaathi, *quinquaginta.*

ორმოცდათერთმეთი. Ormozzdathermethì, *quinquaginta vnus, vna, vnum.*

ორმოცდათორმეთი. Ormozzdathormethì, *quinquaginta duo, duæ, &c.*

ორმოცდაცამეთი. Ormozzdazzamethì, *quinquaginta tres; tria.*

ორმოცდათოთხმეთი. Ormozzdathothchhmethì, *quinquaginta quatuor.*

ორმოცდათხუთმეთი. Ormozzdathchhuthmethì, *quinquaginta quinque.*

ორმოცდათექუსმეთი. Ormozzdathekuſmethì, *quinquaginta ſex.*

ორმოცდაჩვიდმეთი. Ormozzdaccuidmethì, *quinquaginta ſeptem.*

ორმოცდათურამეთი. Ormozzdathurametì, *quinquaginta octo.*

ორმოც-

ორმოცდაცხრამეთი. ormozzdazzchhramethì, *quinquaginta nouem.*

სამოცი. Samozzi, *ſexaginta.*

სამოცდაერთი. ſamozzdaerthì, *ſexaginta vnus, a, um.*

სამოცდაორი. ſamozzdaori, *ſexaginta duo, duæ, &c.*

სამოცდასამი. ſamozzdaſami, *ſexaginta tres, tria.*

სამოცდაოთხი. ſamozzdaothchhi, *ſexaginta quatuor.*

სამოცდახუთი. ſamozzdachhuthi, *ſexaginta quinque.*

სამოცდაექუსი. ſamozzdaekuſi, *ſexaginta ſex.*

სამოცდაშვიდი. ſamozzdaſcuidi, *ſexaginta ſeptem.*

სამოცდარვა. ſamozzdarua, *ſexaginta octo.*

სამოცდაცხრა. ſamozzdazzchhra, *ſexaginta nouem.*

სამოცდაათი. Samozzdaathì, *ſeptuaginta.*

სამოცდათერთმეთი. ſamozzdatherthmethì, *ſeptuaginta vnus, vna, vnum.*

სამოცდაორთმეთი. ſamozzdaorthmethì, *vel* თორმეთი. thormethì, *ſeptuaginta duo, duæ, &c.*

სამოცდაცამეთი. ſamozzdazzamethì, *ſeptuaginta tres, tria.*

სამოცდათოთხმეთი. ſamozzdathothchhmethì, *ſeptuaginta quatuor.*

სამოცდათხუთმეთი. ſamozzdathchhuthmethì, *ſeptuaginta quinque.*

სამოცდათექუსმეთი. ſamozzdathekuſmethì, *ſeptuaginta ſex.*

სამოცდაჩვიდმეთი. ſamozzdaccuidmethì, *ſeptuaginta ſeptem.*

სამოცდათურამეთი. ſamozzdathuramethì, *ſeptuaginta octo.*

სამოცდ-

სამოცდაცხრამეთი. ſamozzdazzchhramethì, *ſeptuaginta nouem.*

ოთხმოცი. ochchhmozzi, *octoginta.*

ოთხმოცდაერთი. othchhmozzdaerthi, *octoginta vnus, a, um.*

ოთხმოცდაორი. othchhmozzdaori, *octoginta duo, duæ, duo.*

ოთხმოცდასამი. othchhmozzdaſami, *octoginta tres, tria.*

ოთხმოცდაოთხი. othchhmozzdaothchhi, *octoginta quatuor.*

ოთხმოცდახუთი. othchhmozzdachhuthi, *octoginta quinque.*

ოთხმოცდაექუსი. othchhmozzdaekuſi, *octoginta ſex.*

ოთხმოცდაშვიდი. othchhmozzdaſcuidi, *octoginta ſeptem.*

ოთხმოცდარვა. othchhmozzdaruà, *octoginta octo.*

ოთხმოცდაცხრა. othchhmozzdazzchhra, *octoginta nouem.*

ოთხმოცდაათი. othchhmozzdaathi, *nonaginta.*

ოთხმოცდათერთმეთი. othchhmozzdatherthmethì, *nonaginta vnus, a, um.*

ოთხმოცდათორმეთი. othchhmozzdathormethì, *nonaginta duo.*

ოთხმოცდაცამეთი. othchhmozzdazzamethí, *nonaginta tres, tria.*

ოთხმოცდათოთხმეთი. othchhmozzdathothchhmethì, *nonaginta quatuor.*

ოთხმოცდათხუთმეთი. othchhmozzdathchhuthmethì, *nonaginta quinque.*

ოთხმოცდათექუსმეთი. othchhmozzdathekuſmethì, *nonaginta ſex.*

ოთხმოცდაჩვიდმეთი. othchhmozzdaccuidmethi, *nonaginta ſeptem.*

ოთხმოც-

ოთხმოცდათურამეთი. othchhmozzdathuramethì, *nonaginta octo.*

ოთხმოცდაცხრამეთი. othchhmozzdazzchhramethì, *nonaginta nouem.*

ასი. Aſi, *centum.*

ასიდაერთი. Aſidaerthi, *centum & vnus, a, um.*

ასიდაორი. Aſidaori, *centum & duo, duæ, duo.*

& ſic de reliquis.

ორასი. Orasì, *ducenti, ducentæ, ducenta.*

სამასი. Samasì, *trecenti, trecentæ, trecenta.*

ოთხასი. Othchhasì, *quadringenti, quadringentæ, ta.*

ხუთასი. Chhuthasì, *quingenti, quingentæ, quingenta.*

ექუსასი. Ekuſasì, *ſexcenti, ſexcentæ, ſexcenta.*

შვიდასი. Scuidasì, *ſeptingenti, ſeptingentæ, ſeptingenta.*

რვაასი. Ruaasì, *octingenti, octingentæ, octingenta.*

ცხრაასი. Zzchhraasì, *nongenti, nongentæ, nongenta.*

ათიასი. Athiasì, *mille.*

ორიათასი. Oriathasì, *duo millia.*

სამიათასი. Samiathasì, *tria millia.*

ოთხიათასი. Othchhiathasì, *quatuor millia.*

ხუთიათასი. Chhuthiathasì, *quinque millia.*

ექუსიათასი. Ekuſiathasì, *ſex millia.*

შვიდიათასი. Scuidiathasì, *ſeptem millia:*

რვაათასი. Ruaathasì, *octo millia.*

ცხრაათასი. Zzchhraathasì, *nouem millia.*

ათიათასი· Athiathasì, *decem millia, &c.*

Ab his ergo numeralibus nominibus, quæ numerum abſolutè ſignificant,

DERIVANTVR

PRimò ordinaria, quæ numerum ordine digeſtum exprimunt; & hæc fiunt addita numeralibus particula მე me, ſic exempli gratia:

Ab ორი· Ori, სამი· Sami, &c. deriuantur:

მეორი· meori, *ſecundus.*
მესამი· meſami, *tertius.*
მეოთხი· meothchhi, *quartus.*
მეხუთი· mechhuthi, *quintus.*
მეექუსი· meekuſi, *ſextus.*
მეშვიდი· meſcuidi, *ſeptimus.*
მერვა· meruà, *octauus.*
მეცხრა· mezzchhrà, *nonus.*
მეათი· meathi, *decimus.*
მეოცი· meozzi, *vigeſimus.*
მეოცდაათი· meozzdaathi, *trigeſimus.*
მეორმოცი· meormozzi, *quadrageſimus.*
მეორმოცდაათი· meormozzdaathi, *quinquageſimus.*
მესამოცი· meſamozzi, *ſexageſimus.*
მესამოცდაათი· meſamozzdaathi, *ſeptuageſimus.*
მეოთხმოცი· meothchhmozzi, *octuageſimus.*

მეოთხმოც-

მეოთხმოცდაათი. meothchhmozzdaathi, *nonageſimus.*

მეასი. measì, *centeſimus.*

მეათასი. meathasì, *milleſimus.*

Primum autem non მეერთი. meerthi inquiunt, ſed წინაპრუელი. Tzinaprueli.

Secundò collectiua, quæ ſormantur addita Cardinalibus particula ვე; & ſic exempli gratia:

ორივე. Oriuè, *vterque, vtraque, vtrumque.*

სამივე. Samiuè, *Ital. tutti tre.*

ოთხივე. Othchhiuè, *Ital. tutti quattro.*

ხუთივე. Chhutiuè, *Ital. tutti cinque.*

ექუსივე. Ekuſiuè, *Ital. tutti ſei.*

შვიდივე. Scuidiuè, *Ital. tutti ſette.*

რვავე. Ruauè, *Ital. tutti otto.*

ცხრავე. Zzchhrauè, *Ital. tutti noue.*

ათივე. Athiuè, *Ital. tutti dieci.*

ოცივე. Ozziuè, *Ital. tutti venti.*

ოცდაათივე. Ozzdaathiuè, *Ital. tutti trenta.*

Ab ორი. სამი. Ori, Sami &c. fit

ორმოცივე. Ormozziuè, *Ital. tutti quaranta.*

ორმოცდაათივე. Ormozzdaathiuè, *Ital. tutti cinquanta.*

სამოცივე. Samozziuè, *Ital. tutti ſeſſanta.*

სამოცდაათივე. Samozzdaathiuè, *Ital. tutti ſettanta.*

ოთხმოცივე. Othchhmozziuè, *Ital. tutti ottanta.*

ოთხმოცდაათივე. Othchhmozzdaatiuè, *Ital. tutti nouanta.*

ასივე. Aſiuè, *Ital. tutti cento.*

ორასივე. Oraſiuè, *Ital. tutti ducento.*

სამასივე. Samaſiuè, *Ital. tutti trecento.*

ათასივე. Athaſiuè, *Ital. tutti mille.*

ორათასივე. Orathaſiuè, *Ital. tutti duo mila.*

სამათასივე. Samathaſiuè, *Ital. tutti tre mila.*

Tertiò diſtributiua, ſiue diuidua nomina, quæ diſtributionem, ſeù diuiſionem ſignificant; & hæc fiunt duplicata priori ſyllaba numeralium. ſic exempli gratia:

სასამი. Saſami, *terni, Ital. à tre à tre.*

ოთხოთხი. Othchhothchhi, *quaterni.*

ხუთხუთი. Chhuthchhuthi, *quini.*

ექექუსი. Ekekuſi, *ſeni.*

შვიდშვიდი. Scuiſcuidi, *ſepteni.*

რვარვა. Ruaruà, *octoni.*

ცხრაცხრა. Zzchhrazzchhrà, *noueni.*

ათათი. Athathi, *deni.*

à სამი. ოთხი. Sami, Othchhì &c. deriuantur

თერთერთმეტი. Thertherthmethì, *vndeni.*

თორთორმეტი. Thorthorthmethì, *duodeni.*

თხუთხუთმეტი. Thchhuthchhuthmethì, *quindeni*

ოცოცი. Ozzozzi, *viceni.*

ოცოცდა-

ოცოცდაათი. Ozzozzdaathi, *triceni*.

ორმორმოცი. Ormormozzi, *quadrageni*.

ორმორმოცდაათი. Ormormozzdaathi, *quinquageni*.

სასამოცი. Saſamozzi, *ſexageni*.

სასამოცდაათი. Saſamozzdaathi, *ſeptuageni*.

ოთხოთხმოცი. Othchhothchhmozzi, *octuageni*.

ოთხოთხმოცდასი. Othchhothchhmozzdaathi, *nonageni*.

ასასი. Aſasì, *centeni*.

ორორასი. Ororasì. *bis centeni*.

რვარვაასი. Ruaruaasì, *octingenteni*.

ათათასი. Athathasì, *milleni*.

ორორათასი. Ororathasì, *bis milleni, &c.*

Sed თითოთითო. Thithothithò, ſingulos, & binos dicunt ოროლი. Oroli.

Quartò, reperiuntur apud Iberos quædam nomina numerorum, quæ ab alijs deriuata particula ობა. obà, fœmininorum formam habent; & eundem ſerè, quem eorum primitiuum ſignificant numerum: Sed quia nec Latinè, nec Italicè rectè omnia reddi poſſunt, fictis nominibus explicabo, & ſic exempli gratia:

ერთობა. Erthobà, *vnitas*.

ორობა. Orobà, *dualitas*.

სამობა. Samobà, *trinitas*.

ოთხობა. Othchhobà, *quaternitas*.

ხუთ-

ab ერთი. ორი. Erthi, Ori &c. deducunt

ხუთობა. Chhuthobà, *quinitas*.
ექუსობა. Ekuſobà, *ſenitas*.
შვიდობა. Scuidobà, *ſeptenitas*.
რვაობა. Ruaobà, *octenitas*.
ცხრაობა. Zzchhraobà, *nonitas*.
ათობა. Athobà, *denitas*.
თერთმეტობა. Therthmethobà, *vndenitas*.
თორთმეტობა. Thorthmethobà, *duodenitas*.
თხუთმეტობა. Thchhuthmethobà, *quindenitas*.
ოცობა. Ozzobà, *vigenitas*.
ოცდაათობა. Ozzdaathobà, *trigenitas*.
ორმოცობა. Ormozzobà, *quadragenitas*.
ორმოცდაათობა. Ormozzdaathobà, *quinquagenitas*.
სამოცობა. Samozzobà, *ſexagenitas*.
სამოცდაათობა. Samozzdaathobà, *ſeptuagenitas*.
ოთხმოცობა. Othchhmozzobà, *octuagenitas*.
ოთხმოცდაათობა. Othchhmozzdaathobà, *nonagenitas*.
ასობა. Aſobà, *centenitas*.
ათასობა. Athaſobà, *millenitas*.

Sed decas, quinquagena, ſexagena, & his ſimilia nomina, quæ & vſque ad myriades poſſemus excogitare, vel deducunt eadem particula ობა. obà, vel præpoſito ერთი. erthi nominibus ordinalibus; & ſic exempli gratia:

ათობა.

ab ათი. თორმეთი. Athi, Thormethi &c. fiunt

- ათობა. Athobà, *vel* ერთიათი. Erthiathi, *Italicè, decina*
- თორმეთობა. Thormethobà, *vel* ერთითორმეთი. Erthithormethi, *Ital. dozzina.*
- თხუთმეთობა. Thchhuthmethobà, *vel* ერთითხუთმეთი. Erthithchhuthmethi, *Ital quindecina.*
- ოცობა. Ozzobà, *vel* ერთიოცი. Erthiozzi, *Ital. ventena.*
- ოცდაათობა. Ozzdaathobà, *vel* ერთიოცდაათი. Erthiozzdaathi, *Ital. trentena.*
- ორმოცობა. Ormozzobà, *vel* ერთიორმოცი. Erthiormozzi, *Ital. quarantena, &c.*

Et demum aduertes quæ ſequuntur.

ერთიწლიწადიანი. Erthitzilitzadiani	ſunt	*Anniculus.*
ორიწლიწადიანი. Oritzilitzadiani		*bimus, biennis.*
სამიწლიწადიანი. Samitzilitzadiani		*trimus.*
ოთხიწლიწადიანი. Otchhitzilitzadiani		*quadrimus.*
ხუთიწლიწადიანი. Chhuthitzilitzadiani		*quimus.*
ექუსიწლიწადიანი. Ekuſitzilitzadiani		*ſexennis.*
შვიდიწლიწადიანი. Scuiditzilitzadiani		*ſeptennis.*
რვაწლიწადიანი. Ruatzilitzadiani		*octennis.*
ცხრაწლიწადიანი. Zzchhratzilitzadiani		*nouennis,*
ათიწლიწადიანი. Athitzilitzadiani		*decennis.*

ოციწ-

ოციწილიწადიანი. Ozzitzilitzidiani		*viginti annorũ*
ორმოციწილიწადიანი. Ormozzitzilitzadiani		*quadraginta annorum.*
ასიწილიწადიანი. Aſitzilitzadiani		*centum annorũ.*
ათასიწილიწადიანი. Athaſitzilitzadiani		*mille annorum.*

ორიწილიწადობა. Oritzlitzadobà		*biennium.*
სამიწილიწადობა. Samitzilitzadobà		*triennium.*
ოთხიწილიწადობა. Othchhitzilitzadobà		*quadriennium.*
ხუთიწილიწადობა. Chhuthitzilitzadobà		*quinquennium.*
ექუსიწილიწადობა. Ekuſitzilitzadobà		*ſexennium.*
შვიდიწილიწადობა. Scuiditzilitzadobà	ſunt	*ſeptennium.*
რვაწილიწადობა. Ruatzilitzadobà		*octennium.*
ცხრაწილიწადობა. Zzchhratzilitzadobà		*nouennium.*
ათიწილიწადობა. Athitzilitzadobà		*decennium.*
ორიდღემობა. Oridghemobà		*biduum.*
სამიდღემობა. Samidghemobà		*triduum.*
ოთხიდღემობა. Othchhidghemobà		*quatriduum.*

Verùm non vbique, deriuata hæc temporum nomina, audies in Iberia: ſunt qui ijs frequenter vtantur; & ſunt qui vſquam nec audita percipiant: nos ea retulimus, vt nil quod huc pertineat, deſiderari poſſe videatur.

§. QVIN-

§. QVINTVS.

De comparatione, quinto nominum accidente.

COmparatiuum nomen, quod rem vel attollit, vel deprimit, fit

Primò, addita poſitiuo, ſiuè abſoluto ſyllaba სი si, vt exempli gratia:

Poſitiua	Comparatiua
ლამაზი. Lamaſi, *pulcher*.	სილამაზი. Silamaſi, *pulchrior*.
პილსი. Pilſi, *deformis*.	სიპილსი. Sipilſi, *deformior*.
ავი. Aui, *malus*.	სიავი. Siaui, *peior*.
წმინდა. Tzminda, *ſanctus*.	სიწმინდა. Sitzminda, *ſanctior*.
ძიმე. Zime, *grauis*.	სიძიმე. Sizime, *grauior*.

Secundò plerunque exprimitur gradus comparatiuus, aſſumpta particula საგან. ſaghan, ideſt *à*, *ab*, quæ affigitur nomini, cui aliquid comparatur, ſeù de quo aliquid prædicatur, vt

მზესაგან. ლამაზი. Mzeſaghan lamaſi, *Sole pulchrior*.

ეშმაკისაგან. პილსი. Eſcmachiſaghan pilſi, *Diabolo deformior*.

ყუასაგან. მაგარი. Cquaſaghan maghari, *ſaxo durior*.

თაფლისაგან. ტბილი. Thapliſaghan tbili, *melle dulcior*.

ვაჟისაგან. ძალიანი. Vagiſaghan zaliani, *Iuuene fortior*.

ბერისაგან. წმინდა. Beriſaghan tzminda, *Monacho ſanctior*.

Sed à კაი. Chai, *bonus*, *probus*, fit ჳარესი. Vareſi, *melior*, ſic ჳხუთესი. Vchutheſi, *peior*; ჳფრო-სი. Vprosì, *maior*; ჳმსთრო-სი. Vmſthrosì, *minor*; vel ſi hæc de inanimatis rebus dicantur, fient ჳფრო-სუანი. Vproſuani, *maior*; ჳმსთრო-სუანი. Vmſthroſuani, *minor*.

Superlatiuus autem gradus, qui rem vel in ſummo loco, vel in infimo collocat, exprimitur

Primo addita nomini abſoluto, vocula სულა. Sula, *vel* ბევრი. Beuri, *vel* უფრო. Vpro; exempli gratia:

სულალამასი. Sulalamasì, *pulcherrimus*.

სულაწმინდა. Sulatzminda, *ſanctiſſimus*.

ბევრიტბილი. Beuritbili, *dulciſſimus*.

ბევრიძალიანი. Beurizaliani, *fortiſſimus*.

უფრო-ნათელი. Vpronatheli, *clarior, & clariſſimus*.

უფრო-მაღალი. Vpromaghalì, *altior, & altiſſimus, altiſſima, &c.*

Secundò genitiuo plurali, vel ſingulari, qui multitudinem ſignificet, nulla addita particula nomini poſitiuo, vt

ყოელას, წმინდა. Cqoelas tzminda, *omnium ſanctiſſimus, ſanctiſſima, ſanctiſſimum: & hoc nomine Dei Genitricem Mariam Virginem appellant, verè omnium ſanctiſſimam*.

ვაჟებს. ძალიანი. Vagebis zaliani, *iuuenum fortiſſimus*.

კაცებს. ღარიბი. Chazzebis gharibì, *hominum pauperrimus*.

ქალებს. აზნაური. Chalebis aſnauri, *mulierum nobiliſſima*.

Tertiò, ſuperlatiua quæ dedecus, ludibrium, & vituperationem ſignificent, fiunt addita poſitiuis alterutra harum dictionum წმინდა. Tzminda, *vel* მართალი. Marthalì. & quidem hæc vſu frequentiora ſunt, atque omnium venuſtiſſima; exempli gratia.

წმინდა. შავი. Tzminda ſciaui, *infortunatiſſimus*.

მართალი. ავი. Marthalì aui, *nequiſſimus, ma, &c.*

მართალი.

მართალი. უსარგებელო. Marthalì vſarghebelo, *ſtolidiſſimus*.

Additur etiam vocula სულა. Sula, vt სულაწმინდა. უსარგებელო. ხარ. Sulatzminda vſarghebelo chhar; *quaſi dicerent: verè tu es omnium ſtolidiſſimus*.

CAPVT SECVNDVM.

De Pronomine altera Orationis parte, eiuſque attributis.

SEx Pronomini accidunt: ſpecies, ſignificatio, genus, numerus, perſona, caſus, ſeù declinatio.

Species ſunt duæ,

Primitiua vt მე. me, *ego*; Deriuatiua, vt ჩემი. cemi, *meus*.

Significatio eſt quincuplex,

Alia enim pronomina ſunt demonſtratiua, ſic dicta, quòd rem demonſtrent, vt მე. me, *ego:* შენ. ſcen, *tu*: ეს. es, ამან. aman, & აგი. aghì, *hic, hæc, hoc:* ის. is, იმან. iman, & იგი. ighì, *ille, illa, illud*: თვითან. tuithan, *ipſe, ipſa, ipſum*.

Alia ſunt relatiua, ſic dicta, quòd rem priùs dictam referant, vt რომ. რომელი. Rom, Romelì, *qui, quæ, quod*.

Alia ſunt poſſeſſiua, ſic nominata; quòd rem poſſidere ſignificent, vt ჩემი. Cemi, *meus:* შენი. Sceni, *tuus*: ჩუენი. Ciueni, *noſter*: თქუენი. Thcquent, *veſter &c.*

Alia ſunt gentilia, quæ patriam, aut ſectam denotant, vt ჩუენებური. Ciueneburi, *noſtras*: თქუენებური. Thcqueneburi, *veſtras, &c.*

Alia ſunt interrogatiua, vt ვინ. Vin, *quis*: რომელი. Romelì, *quis, vel qualis*: რა. Ra, *qui:* სადაური. Sadauri, *cuias*.

Genus ſimplex eſt,

Nam vt oſtendimus, ამან. Aman, valet *hic*, *hæc*, *hoc*: იმან. Iman, *ille*, *illa*, *illud*, *&c.*

Numeri ſunt duo,

Singularis vt მე. me, *ego*: შენ. ſcen, *tu*: იმან. iman, *ille*, *&c.*

Pluralis, vt ჩუენ. ciuen, *nos*: თქუენ. thcquen, *vos*: იმათ. imath, *illi*, *&c.*

Perſonæ ſunt tres,

Prima vt მე. me, *ego*: Secunda vt შენ. ſcen, *tu*: Tertia vt იმან. iman, *ille*, *&c.*

Pronominum declinatio ferè eſt vnica,

Sed tamen literulis quibuſdam, diuerſimodè alia ab alijs inflectuntur, vt videre eſt in his tabulis.

PARADIGMATA

Pronominum.

PRonominis primitiui primæ perſonæ declinatio:

Singularis.
- Nominatiuus: მე. me, *ego*.
- Genitiuus: ჩემის. Cemis, *mei*.
- Datiuus: ჩემსა. Cemſa, *mihi*.
- Accuſatiuus: მე. me, *me*.
- Ablatiuus: ჩემგან. Cemghan, vel ჩემისგან. Cemiſghan, *à me*.

Nu-

Numeri — Pluralis.

Nominatiuus: ჩუენ. Ciuen, *nos*.
Genitiuus: ჩუენისა. Ciueniſa, *noſtrum*.
Datiuus: ჩუენს. Ciuenſa, *nobis*.
Accuſatiuus: ჩუენ. Ciuen, *nos*.
Ablatiuus: ჩუენგან. Ciuenghan, vel ჩუენისაგან. Ciueniſaghan, *à nobis*.

Pronominis primitiui ſecundæ perſonæ declinatio.

Numeri — Singularis.

Nominatiuus: შენ. Scen, *tu*.
